T H E S E S
HISTORICO-CHRONOLOGICO-DOGMATICÆ
AD UNIVERSUM VETUS TESTAMENTUM SPECTANTES

Depromptæ a Lectionibus habitis in Publico Lyceo Florentino Anno MDCCXXXII.

A JUSTO VENTURINO
IN ANNIVERSARIIS VERO INFERIIS
ALMI FLORENTINI COLLEGII THEOLOGORUM
DISPUTATIONI EXPOSITÆ

AB ANDREA NATI
CLERICO, ET NOBILI CIVE FLORENTINO

A C

ILLUSTRISS. ET REVERENDISS. DOM. DOMINO

JOSEPHO MARIÆ MARTELLI
ARCHIEPISCOPO FLORENTINO
PONTIFICIO SOLIO ASSISTENTI, S. R. IMPERII PRINCIPI,

N E C N O N

FLORENTINI THEOLOGORUM COLLEGII
PRÆSIDI

D I C A T Æ.

F L O R E N T I Æ. MDCCXXXII.

Typis Bernardi Paperinii, ſub Signo Palladis, & Herculis.
CUM APPROBATIONE.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILL.me ET REV.me PRÆSUL, AC PRINCEPS.

EXoptandum omnibus Patrocinium Tuum, totam ſcilicet ſpem meam, & futurum decus, quo munere, quavè arte poſſem mihi comparare, diù ac multum mecum ipſe cogi-

tavi, Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Princeps, cumque magnum aliquid, & Granditate Tua dignum incredibiliter appeterem invenire, quod tibi offerrem, de uno in aliud conſilium tranſiens, haud facilè mihi fuit cui eorum adhæreſcerem firma deliberatione ſancire. Obverſabantur aliquandò ante oculos mentis Doctiſſimi pariter atque perſpicaciſſimi Viri, qui Proſapiam eorum, in quorum tutela eſſe voluere, ampliſſimis non modò præconiis ornarunt, ſed è Cœlis prope delapſam venditare Mortalibus conati ſunt. Num iſtos, ajebam, in exemplum mihi proponere nefas eſſet? Trahuntur ex una parte omnes laudis ſtudio, & optimus quiſque maximè gloriâ ſuorum delectatur: Præbet ex altera Vetuſtiſſimæ Inclitæque MARTELLIÆ GENTIS *inexhauſtus Heroum, Dignitatum, illuſtriumque Affinitatum Fundus uberrimam Laudum materiem, & ad conciliandam benevolentiam multiplicem aptiſſimamque occaſionem. Cur itaque, dicebat animus, commendationem Deceſſorum illius non arripis, ut ejus amorem aucuperis? Jam Patrias Purpureas Togas, & Romanum Roſeum Galerum, & Inſulas, & Faſces paraveram, magnificis verbis oſtenſurus, quantam ſplendoris auctionem virtute ſuâ feciſſent Ornamentis iſtis, qui*

ex

Digitized by Google

ex hac præclariſſimâ Stirpe fuerant eiſdem cohoneſtati. Verùm enim verò dum talia meditarer, monuit communis fama, Te vix tua putare, quæ memoranda facinora ab aliis licet Tuis patrata fuere, nec tanti facere Genus, ac Proavos, & quæ non feceris Ipſe, ut eorundem Laudationem juſtum protectionis tuæ pretium arbitreris. Tùm ſuccedebant alii ſcientiâ, & acumine primis minimè diſpares, qui non eadem via, ſed optima tamen, ut videbatur, & expeditâ, Mæcenates ſibi quæſiſſe, fuiſſeque vix ullo negotio aſſecutos commoſtrabant, eximia nempe eorumdem met Geſta, ſub quibus, tamquam ſub Numinibus, eſſe propoſuerant, exquiſitiſſimis verborum coloribus picta iterum in Foro, ac in Civium oculis conſtituendo. Neque Conſilium, quo ipſi priùs feliciter uſi fuerant, diſplicuiſſet: præſtò etenim erant multa, quæ & honoratè, & honorificè, & graviter de Te prædicarem; mirifica nimirùm Vigilantia, Juſtitia incorrupta, incenſum Divini Cultus ſtudium, largitas in Pauperes maxima, Literarum ac Literatorum inſignis amor, atque ſingularis erga omnes Humanitas. Sed res nota eſt, & apud hanc Principem Urbem pervulgata; acceptiſſimam tibi eſſe modeſtiam, & nihil tibi gravius accidere unquam poſſe, quam ſi aliquis apparatiſſimum, uti meren-

tur,

Digitized by Google

tur, Virtutum tuarum ſpectaculum dare velit. Mihi etiam inſuſurrabant alii diverſas in eundem finem rationes: Aſt recedant jam omnes, & locum deliberationi meæ relinquant, quæ, ni fallor, novum quid, & rarum, ac maximum tribuendum Tibi, ut ad mei benevolentiam conſentires, haud imprudenter delegit. En, Princeps Illuſtriſſime, quale Tibi, & quantum munus impertiar. Sed parvam Hominum manum dumtaxat cernis ad Solium tuum ſuppliciter venientem, ac fortè miraris. Scis quos Homines, & cur pellexerim, ut venirent? Hic Magnus eſt Moyſes, potentiſſimi Hebraici Populi Sanctiſſimus Legislator, ille Joſue Dux eorundem ſtrenuiſſimus, cui ſol parere non eſt dedignatus, iſte Maximus Sacerdos & Judex Samuel, David, ac Salomon illi, alter bellicâ virtute, alter Sapientiâ celeberrimus, Eſdras, Neemias, Eliachimus, Hircanus, Judas, omnes denique illuſtres Prophetiarum Scriptores, Spiritus Sancti organa, Sempiterni Numinis Legati, ac Divinæ Omnipotentiæ participes quodammodo facti, atque conſortes, qui per Etherodoxos è ſuarum Lucubrationum antiquiſſima poſſeſſione ne deturbentur, ſe ad Tuam Defenſionem, me adhortante, convertunt, ſuamque cauſſam, ut ſuſcipias, enixe ob-

teſtan-

teſtantur. Non indiget Perſpicacitas Tua, Illuſtriſſime, ac Reverendiſſime Princeps, ut quantum hoc tibi veræ Dignitatis augeat, quam Te altè extollat, quamve Nomini Tuo gloriam perpetuò ſit pariturum, multis exponam, ac vi Orationis amplificem: Propoſitum itaque meum tenui, ut ſingulari videlicet aliqua ratione gratiam tuam conſequerer. Aliud nihil in votis habui: una etenim Gratia Tua mihi eſt inſtar omnium.

DOMINATIONIS TUÆ ILL.MÆ AC REV.MÆ

Humill., & Obſequentiſſ. Famulus, ac Subditus
ANDREAS NATI CLERICUS FLORENTINUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE PRIMO LOCO THEOLOGICO

HOC EST

DE SACRA SCRIPTURA.

I.

Deus primarius Author Sacræ Scripturæ.

SAcræ Scripturæ primarius Author eſt Deus: omnia enim, quæ iſta complectitur e Divina inſpiratione fluxere: licet varietas interpretationum ejusdem, aliæ ad literam, aliæ ſecundum ſenſum, & Apoſtolorum, ac Patrum licentiâ in referendis teſtimoniis ab ipsâ depromptis aliter, ac concepta ſint, ut ea orationi ſuæ accommodent, atque ſermo in aliquibus ex Sacris Scriptoribus diſertus, in aliis verò rudis, & inconcinnus, hiſtoriarumque tranſpoſitiones, quæ in translationibus Eccleſiaſticis ſibi invicem comparatis deprehenduntur, nos ad propugnandum pelliceant illius verba, ſtylum, ac ordinem non eſſe Divinitùs inſpirata: quod perperam vellent nonnulli, inter quos Henricus Holdenius Pariſienſis Doctor in Fidei Analyſi lib. 1. cap. 5. ad res Philoſophicas, Aſtronomicas, aliaſque hujuſmodi extendere: verùm nos contrarium tenemus, & cuncta, quæ in Divino Volumine continentur afflante Numine ſcripta aſſerimus defendi poſſe, dummodò fixum in mentibus ſit illud D. Joannis Chryſoſtomi, ſe ſe videli-

Digitized by Google

delicet *Deum*, *ad humanam imbecillitatem attemperaſſe*, *locutumque nobis fuiſſe*, *non ut ipſe poterat*, *ſed ut nos capere valemus*, atque Sacros Scriptores, ut inquit S. Auguſtinus cap. 9. lib. 2. de Geneſ. ad literam, *optimè ſciſſe quod veritas habet*, *ſed Spiritum Dei*, *qui per ipſos loquebatur noluiſſe ea docere homines*, *quæ nullius erant ſaluti profutura*.

II.

Prophetiæ præcipuum Argumentum Inſpirationis Divinæ.

ADverſus Hugonem Grotium, Virum de ſacris literis ceteroquin egregiè meritum, pro certo ſtatuimus præcipuum argumentum ad aſſerendam inſpirationem divinam ſacrorum librorum eſſe Prophetias, quas complectuntur, quaſve comprobavit eventus. Eſt Prophetia, vel narratio rerum futurarum, quæ nondum contigerant eo tempore, quo ipſa edita fuit, quæve ex naturalibus cauſſis prævideri non valebant, vel manifeſtatio rerum occultarum præſentium, quæ nulla vi mentis humanæ, nullaque rerum ſublunarium ope, tunc attingi poterant, cum è tenebris eruuntur. Nihil in ſe humani habere Prophetiam, ſed Divinum quid, & ſuper naturale eſſe, Cœlitùsque à Patre Luminum ad nos dimiſſum, *& Magi*, ut verbis utamur Hieronymi, *& Arioli*, *& cuncti denique ſcientia ſecularis literaturæ præditi confitentur*: quamobrem Porphyrium nullo non dignum ſpretu, ac inter Bruta numerandum cenſemus, quòd vaticiniorum cauſſam in quadam animi motione poſuerit, quamvis ex Philoſophis etiam Ethnicis non defuerint, qui Propheticam vim ſic a Deo deſcendere arbitrarentur, ut eumdem hominibus prophetantibus, quaſi Organis tantummodò uſum fuiſſe, rectè crederent: & quidem non eâ lege, ne futurorum præſenſiones extra terram ſanctam ſcriberent; quam opinationem aliis deliramentis ſuis addiderunt Thalmudiſtæ cap. 1. Babæ Bathræ, ſed plena libertate ubique locorum vaticinia ſua libris pubblicandi, qua gaviſos Jeremiam in Ægypto, atque Baruchum, Ezechielem, & Danielem in Chaldæa non ignoramus. Quocumque autem loco exarata fuerint prædicta Oracula duplicem ipſis ineſſe ſignificationem contendimus, quarum una merè ſcopum reſpiciat ſibi ab ipſis propoſitum, ad ea verò quibus ſcripta ſunt tempora nulla, quamtumvis coactâ, ac violentâ expoſitio-

tione queant detorqueri, altera proximè ad hiſtoriam ejus temporis, quo proferuntur, remotè verò, miſtycè, ac allegoricè ad aliud, ut aiunt, objectum referatur.

III.

Moyſes Author ſecundarius Pentateuchi.

EJusdem Divinæ Scripturæ Authores ſecundarios fuiſse homines Cœlitùs inſpiratos agnoſcimus, ac inter eos principem locum obtinere Moyſem, cujus calamo adverſus Thomam Obeſium, Heduardum Herbertum, Benedictum Pererium, Spinoſam, & Clercum nos debere fatemur totum Pentateuchi Volumen, librorum omnium vetuſtiſſimum, non autem ſolam legem, & ritus, ac cæremonias, veluti excogitavit Vir, alias Critices laude inſignis, Richardus Simonius, tribuens ſomniatis quibusdam publicis Scribis, qui tamen tempore Moyſis in Republica Hebræorum nulli fuerunt, hiſtoricas narrationes, atque cetera omnia, quæ literis mandata in eodem legimus, primum Geneſim, dein Exodum, Leviticum, Numeros, ac tandem Deuteronomium anno Vitæ ſuæ ultimo, hoc eſt 120., Mundi 2553. Per. Jul. 3263. ante Æram Chriſtianam 1451. editum. Quæ Moſaicæ Scriptiones ſic ordine deſtitutæ non videntur, ut easdem excuſaturi, confugere debeamus ad foliorum, quibus Volumina conſtabant confuſionem, quemadmodum opinatur laudatus Simonius, cujus conjecturam, tanquam puram putam chimeram rejicimus, in eorum euntes Sententiam, qui ipſimet Moyſi levem hunc ordinis neglectum adſcribunt, idque moris eſſe eorum Authorum aiunt, qui licet multis graviſſimiſque negotiis implicati, geſta tamen propria referunt in Commentarios. Tanti autem Pentateuchum a priſcis hominibus factum videmus, ut in dubium vocari vix poſſe credamus, quin ab ipſo, tanquam ex unico fonte Græci non modò, & Romani, ſed omnes propemodum Ethnici leges, Ritus, Religionem, Fabulas, ſuam denique totam hauſerint Theologiam.

IV.

Lingua, qua uſus eſt Moyſes in conſcribendo Pentateucho.

IN Pentateuchi Scriptione ea lingua uſus eſt Moyſes, quam Deus Adamo primitus dedit, & Hebræa deinceps nuncupata fuit, quia in Hebero, ejusque Familiæ portione in Populum Dei electa, tunc permanſit, cum omnipotens ſcelerum Hoſtis anno nativitatis Phalegi, a Diluvio 101., ab Orbe condito 1757., qui eſt Per. Jul. 2467., ante Æram Chriſtianam 2247. ob inſanam Turris Babellicæ ſtructuram labium, quod erat omnibus hominibus unum, diviſit in plura: non autem in 70. ut inter Hebræos cenſuit Jonathas in paraphraſi cap. Geneſeos 11. verſ. 7. & 8., vel in 72. ſicuti communior fert Sententia Græcorum, & Latinorum Patrum, ex quibus Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Euſebius in Chronico lib. 1., Epiphanius adverſus hæreſes lib. 1. §. 5., Auguſtinus lib. 16. de Civitate Dei cap. 6., Proſper Aquitanicus de Vocatione gentium lib. 2. cap. 4., Philaſtrius hæreſi 63., aut in 75., quemadmodum exiſtimarunt Euphorus, & alii ex Hiſtoricis apud laudatum Clementem Alexandrinum Stromaton lib. 1., ſive tandem in 120., veluti unicus putavit Pacianus Barcinonenſis Epiſcopus, in Opuſculo contra Novatianos: ſed vix in 30., quod tamen definire non audemus.

V.

Characteres, quibus a Moyſe exaratus fuit Pentateuchus.

LAudatum Pentateuchum ſcriptum Characteribus a Moyſe inventis, vel Moyſi a Deo traditis affirmare non poſſumus: Contrarium enim propè conſtat, & ipſum exaratum fuiſſe antiquis literis Hebræis, quæ nunc Samaritanæ appellantur, propugnant doctiores inter Catholicos, atque Acatholicos: Ex primis Origenes in cap. 9. Ezechielis verſ. 4., Africanus relatus a Georgio Sincello, Euſebius in Chronico Olimpiade 80., D. Hieronymus in Prologo Galeato, Arias Montanus, Xyſtus Senenſis, Ser-

ra-

rarius, Bellarminus, Villapandus, Bonfrerius, Guido Fabricius, Morinus, Deſpierrus, Simonius, Dupinius: Ex ſecundis Poſtelus, Joſephus Scaliger, Gerardus Voſſius, Caſaubonus, Grotius, Sixtinus Amama, Ludovicus Capellus, Samuel Bochartus, Vaſerus, Mayerus, Waltonius, &c. Nos hanc Sententiam contra Buxtorfium, cæcoſque illius pediſſequos Ligtfootum ad cap. 4. Matthæi, Schikardum de Jur. Reg. Hebr., Waſmuthum in vindiciis Sacræ Hebraicæ Scripturæ, libenter ampleſtimur, & characteres, quibus modò expreſsus eſt Pentateuchus, eſse Aſsyrios dicimus, ab Eſdra poſt Babylonicam captivitatem antiquis Judaicis ſubſtitutos; qua in re nobis favent etiam plerique Hebræorum, præſertim Thalmudiſtæ in Thalmude Babylonico tract. de Sinedrio ſect. 2., & in Thalmude Hieroſolymitano tract. Megil ſect. prima, ac Rabbini Moyſes Nahmanus, & Joſephus Albus: floccique facimus inventum illorum, qui vel ante captivitatem Babylonicam duas characterum ſpecies, ſacrorum videlicet, & profanorum apud Hebræos fuiſſe exiſtimarunt, vel Angelum Scripturæ hodiernæ Authorem finxere, illum nempe qui inter Balthaſſaris epulas muro verba hæc inſcripſit *Mane*, *Tekel*, *Phares*, ex literis ut aiunt conflata, quibus nunc Sacra Judæorum Volumina exarata cernuntur: ſic Thalmudiſtæ de Sinedrio ſect. 2. Rab Selemoh Jarchy, ac R. Samuel Japhe in lib. cui nomen eſt Pulcher Visù.

VI.

Literæ Vocales Hebræorum, & Puncta pariter Vocalia.

INter Hebraici Alphabeti literas reperiri quinque Vocalia Elementa, nempe *Aleph*, *He*, *Jod*, *Vau*, *Hain*, correſpondentia 5. Latinis *A*, *E*, *I*, *O*, *V*, cum Eruditiſſimo Viro Ludovico Thomaſſino, aliiſque claris Scriptoribus, a Joſepho lib. 6. cap. 6. de Bello Judaico, & a variis D. Hieronymi operibus, a Libello ſcilicet, de Nominibus Hebræorum, ab Explicatione Vocum Deuteronomii, & a Commentariis in Oſeam cap. 2. verſ. 16. eruimus. Quamobrem utile quidem non inficiamur fuiſſe recens Punctorum Vocalium inventum, aſt neceſſarium omnino negamus. Puncta Vocalia recens inventum appellavimus, quia falſas arbitramur opiniones eorum, qui vel nata cum Hebraica lingua, vel ab Abramo adhibita, vel a Moyſe,

& ſaltem ab Esdra tradita cenſuerunt, atque in Ludovici Capelli, qui contra Buxtorfium Filium novitatem Punctorum, in doctiſſimo libro de Punctuationis arcano revelato, & in Diatriba ſtabilivit, non inviti trahimur, minimèque arbitramur abeſſe a veritate Richardum Simonium, aſserentem Hebræos Puncta ab Arabibus didiciſse, qui circa annum Domini 638. ſub Omare 3. Chalipha, ut Alchorani lectionem determinarent, de ipſis eidem addendis cogitarunt. Unde inferimus non quinto ſeculo, veluti tradit Elias Levita, ſed ſeptimo, aut etiam octavo celebres Scholæ Tiberiadis Judæos Doctores illa in uſum Sacræ Scripturæ vocaſſe, quâ de cauſsâ dicti fuerunt Maſoretæ, & opus ab ipſis conflatum Maſora appellatum, tantique factum a gente ſua ut *Sareg la Tora*, ſeu *Legis Sepimentum diceretur*. Maſoram, & nos multi facimus, nec tanti tamen, ut præferamus Textum Hebræum Punctis fulcitum, Editioni Vulgatæ, cum aliqua loca in illo reperiuntur, quæ huic non concordent, traditionem enim juxta quam Puncta fuere poſita haud ſemper conſtantem fuiſse, atque optimam ſuſtinemus.

VII.

Pentateuchus Samaritanus.

Neque Textum Pentateuchi, quem Esdras poſt Babylonicam Captivitatem, relictis antiquis Hebræis literis, ſcripſit Aſsyriacis, ullatenus præponendum ducimus hodierno Textui Samaritano priſcis Hebraicis Characteribus exarato, ac illi omninò ſimili, qui temporibus Julii Africani, Euſebii Cæſarienſis, D. Hieronymi, Diodori Tarſenſis, & Procopii Gazzenſis legebatur, cum emanet uterque ex eodem fonte (ab Iſraëlitis enim, non a Judæis Patrio ſolo reſtitutis, anno Mundi 3468., neque a Doſitheo, hunc acceperunt Samaritani) & nulla magni momenti differentia, ſed teſte laudato Hieronymo in Præfatione ad libros Regum, figuris tantum, & apicibus primus diſcrepet a ſecundo, cui tamen a Joanne Morino nimium tribui poſt Viros Eruditiſſimos judicamus.

In

VIII.

In Pentateucho nihil pugnans.

NIhil in Pentateucho legitur, quod vel temporibus eorum, de quibus narratur, vel ætati Moſis narrantis non congruat, quodve ſaltem Viri recto judicio præditi non debeant ex ejuſdem ſcriptis inferre ipſi fuiſse a Numine per revelationem indicatum: quamobrem ut Spinoſæ, ac aliorum ejuſdem furfuris hominum vanos impetus flocci faciendos oſtendamus. I. Colligi aſserimus, e cap. 10. Geneſeos, Nemrodum Cuſi Filium, Chami Nepotem, vergente ad finem ſeculo Mundi 18., non autem Ninum Beli Filium, atque poſt annos 184. a morte Moſis Succeſsorem, & Debboræ Coævum, fuiſse Ninives Conditorem: II. Dicimus cap. 11. ejuſdem Geneſeos Chaldæorum nomine haud exprimi Populos, qui apud Strabonem olim fuere Chalybes, deinceps Chaldæi: ſed Sacerdotes, & Mathematicos, ex artis vocabulo denominationem ſortitos: hoc enim nomine ipſa etiam Chaldæa Genethliacos a ceteris Magis diſtinguit Daniel. cap. 2. verſ. 10. & cap. 4. verſ. 4. & cap. 5. verſ. 11., ac inde deducimus Abrahæ inventoris Aſtronomiæ, vel ſaltem Moſis temporibus aliquos homines extitiſſe, qui Chaldæi vocarentur, & Ur, fuiſse appellatum Chaldæorum, quòd in hoc præſertim Oppido Genethliaci florerent: ſolum namque recentiores ſunt Abrahamo, & fortè Moyſe populi, non autem Sacerdotes, & Mathematici nuncupati Chaldæi. III. Veram eſse Sententiam Joſephi in antiquitatibus Judaicis lib. 1. cap. 18., D. Hieronymi in quæſtionibus Judaicis, & Philoſtorgii apud Joannem Antiochenſem, ac aliorum eruditorum ſuſtinemus, qui tradunt Dan, ad quem uſque locum Abraham dicitur cap. 14. laud. Geneſeos hoſtes Lothi Reges perſecutus, unum eſse ex Jordanis fontibus, alter enim vocatur Jor, & ex ipſis in unum Rivulum fœderatis fit Jordanis: Non autem Urbem, quæ prius Lais nuncupabatur, ac longè poſt Abrahamum, & etiam Moyſem a Danitica Tribu, quæ ipſam expugnavit, Dan juxta Vocabulum patris ſui, quem genuit Iſrael, appellata fuit; Jud. cap. 18. verſ. 29. IV. Certum nobis eſt Montem a Deo monſtratum Abrahæ, ut illi ſuper eumdem offerret in holocauſtum Filium ſuum Unigenitum, quem diligebat, Iſaacum, tum primum vocatum non fuiſſe *Montem ubi Dominus videbit*, quando extructioni Templi Salomonici dicatus

fuit

Digitized by Google

fuit anno ab Orbe condito 2993. menſis Ziu die 2. ideſt 21. Maii Fer. 2. ſed anno Mundi 2133. Per. Jul. 2843. cum Geneſis cap. 22. verſ. 12. & 13. Sanctiſſimus Patriarcha ab Angelo admonitus, ne manum ſuam in Puerum extenderet, vidit poſt tergum Arietem inter Vepres hærentem cornibus, & aſſumpſit, ac immolavit holocauſtum pro Filio. Quid enim clarius his verbis ejusdem capituli verſ. 14. appellavitque Abraham nomen loci illius *Dominus videt*. V. Propugnamus Vallem Hebron, de qua Geneſis cap. 27. miſſus narratur Puer Joſeph a Patre Jacobo, ut videret an cuncta proſpera eſſent erga Fratres ſuos, & pecora, nequaquam ab Urbe Hebron, ſed potius a regione Hebron, quæ Urbem, Vallem, & Montana complectebatur, adhuc vivente Abrahamo, nomen accepiſſe, dictamque fortaſſis Hebron propter Societatem, & amicitiam, quam Summus Patriarcha cum ejusdem Principibus viris contraxerat: ſiquidem Cheber, Chebra, & Chebron Latinè ſonat ſocietas, conjunctio, &c., falſumque eſſe credimus Kiriat-Arbe ideſt Civitatem conſtructam ab Arba, Hebron appellatam ab aliquo ex Filiis Chaleb, Filii Jephone, cui nomen eſſet Hebron: Ille etenim Chaleb, qui habuit Filium Hebron nuncupatum, e Mareſa natus eſt, ut ex Paralip. lib. 1. cap. 2. verſ. 42. non autem a Jephone, nec coævus fuit Joſue, nec Principatu Kiriat-Arbe, ob præſtantiſſima patrata facinora, ab ipſo donatus, veluti habetur Joſue cap. 14. verſ. 13. & 14. VI. Contra Moſaicorum Librorum Oppugnatores affirmamus Turrem Gregis, trans quam Jacob anno creati Orbis 2272. poſt mortem, & ſepulturam dilectiſſimæ Uxoris ſuæ Rachelis fixit Tabernaculum Geneſis cap. 35. verſ. 21., non eſſe Portam illam Gregis, quam ædificavere Eliaſib, & fratres ejus Sacerdotes anno Mundi 3550. Per. Jul. 4260.: illam namque Bethelehemo proximam non obſcurè indicat laudatum cap., hanc vero in muris Jeruſalem ponit Neemias lib. 2. Eſdræ cap. 3. verſ. 1. Eamdem tamen eſſe Turrem Gregis, de qua cap. 4. verſ. 8. Micheæ Moraſthitis, qui vaticinatus eſt Regnantibus Jothamo, Acazo, & Ezecchia Regibus Juda, ab anno ſcilicet ante Æram Chriſtianam 762. ad annum circiter 713., colligimus ab iſtis verbis: *Et tu Turris Gregis nebuloſa filia Sion uſque ad te veniet, & veniet poteſtas prima, Regnum filiæ Jeruſalem*, per quæ Grotius apud Huetium demonſtrationis Evangelicæ propoſitione ſeptima Turrim Gregis apud Bethelehemum ſignificari ſentit, unde Chriſtum naſciturum, mox verſ. 13. apertiùs prædicit idem Propheta. VII. Stamus pro ſententia eorum, qui opinantur Seriem Regum Idumæorum relatam cap. 36. Geneſeos annis non excedere ætatem Scriptionis Moſaycæ laudati Libri: Si etenim ex

una

Digitized by Google

una parte annos numerare incipiamus a tempore, quo Eſau, ſecundum Petavium, jam 97. annum agens obviam ivit Jacobo fratri e Labanis domo cum familia revertenti, nempe ab anno juxta Uſſerianum Calculum 2265. & ex alia ponamus Scriptionem Geneſis poſt annum 2513., quo gens Hebræa ab Ægyptiaco jugo liberata fuit, inter Eſau, & Moyſem ſcribentem intercedent anni ſaltem 248., è quibus ſi demus annos 40. Eſau, eumque mortuum dicamus anno vitæ 137. & annos 60. Beori poſt natum Belam primum in Serie Regum Idumæorum, remanent anni 148., quibus æqualiter diſtributis in ſingulos 8. Reges, uniuſcujuſque Regnum ſit oportet decem, & octo annorum cum dimidio. Num a ratione hoc abhorret, præcipuè cum de filiis non agatur, qui patribus ſucceſſerint? Aſt in ſucceſſione Regum Hiſpaniæ 8. primi Reges Ariani 70. ſolum annos occupavere, ideſt ab anno Æræ Chriſtianæ 414. ad 484. In ſucceſſione Regum Anglorum 8. Reges Medii inter Alfredum, & Edmundum II. ſpatium dumtaxat 80. annorum, ſcilicet ab anno Chriſti 899. ad 979. implevere. Sed inopes nos copia facit. Duces verò Eſaù ſentimus non imperaſſe poſt Reges Edom, ſed eodem tempore, ſub ipſis, vel in diverſis Ditionibus, quemadmodum hodie minores Principes, & Reguli faciunt ſub majoribus. VIII. Potuiſse Joſephum cap. 40. Geneſis verſ. 15. dicere cumcaptivis duobus Eunuchis Pharaonis, ſe fuiſſe ſublatum de Terra Hebræorum defendimus, vel quia, ut placuit Epiphanio in Ancorato cap. 116., Orbe terrarum inter tres filios a Noa diviſo, & certa portione ſingulis aſſignata, Regionem illam Semo, patri omnium filiorum Heber traditam occupaſſet Chanaam, ac ita juris Hebræorum eſſet, vel quia variis de cauſſis, nempe propter Idololatriam, & nefarios concubitus, ejusdem poſſeſſores Chananæi excidiſſent jure ſuo in laudatam Terram, illudque Deus jam in Hebræos, licet dilatâ poſſeſſione, tranſtuliſſet, quod latere Joſephum non potuit. IX. Quod Exodi cap. 16. verſ. 35. ſcriptum ſit *Filii autem Iſraël comederunt Man. 40. annis, donec venirent in Terram habitabilem; hoc cibo aliti ſunt uſquequo tangerent fines Terræ Chanaam*, non indicat Exodum literis mandatum poſt Moyſis obitum; cum ſcilicet die 5. Maii Fer. 4. anni 2554. comederunt ex annona Terræ illius panes azimos, & toſtum igne frumentum: ſed tantummodò ipſummet Moyſem jam moriturum commentariis ſuis adjeciſſe laudata verba: verè namque paſti manna tunc temporis fuerant Hebræi quadraginta annis, minus uno menſe cum dimidio; ſed moris eſt Sacræ Scripturæ, ut inquit Auguſtinus de Civitate Dei lib. 15. cap. 24., nomine totius maximam partem ſignificare: & fines tange-

bant

bant Terræ Chanaam, cui erant contermina campeſtria Moabitarum, ſecundum Jordanem, ex adverſo Jericuntis, ubi Moyſes paulo ante obitum eorum Caſtra locaverat menſe 10. anni ab Orbe Condito 2513. X. Verſum primum Deuteronomii cap. 1.: *Hæc ſunt verba, quæ locutus eſt Moyſes ad omnem Iſraël trans Jordanem*, ſic interpretandum cenſemus, nempe cum eſſet proximus loco, ubi eumdem mox tranſituri erant Iſraëlitæ: idque nobis ſuadet hebraicus Textus, juxta quem legendum eſt, *in tranſitu Jordanis*, veluti notavit quidam ex Hebræis Vir doctus, cujus elucubrationes cum D. Hieronymi operibus perpolitis, ac illuſtratis, imprimendas curavit Dominus Joannes Martianæus, totius Ordinis Divi Benedicti, & Clariſſimæ Congregationis S. Mauri inſigne decus: expoſitionem autem iſtam ideò proponimus, quia hiſtoriæ cohæret, Interpretem noſtræ Vulgatæ eximit a calumnia non rectæ verſionis particulæ *Beeber*, quæ cum habito reſpectu ad locum, in quo profertur, *Cis*, & *Trans* ſignificet, hic reddita fuit *Trans*, ubi reddenda *Cis* videbatur, ac tandem vim frangit argumenti, quod ex hoc loco Spinoſiſtica contradicendi libido deprompſit, ſeu potius extorſit. XI. Rationem nos latère fatemur, quare multis haud placeat Sententia Philonis, ac Joſephi, aſſerentium Moyſen ultimo Deuteronomii cap. propheticè locutum fuiſſe. Si nonnulli etenim Prophetarum, qui poſt ipſum floruère, tam clarè diſtintèque futuros alienos caſus pinxerunt, ut hiſtorias potius ſcripſiſſe viſi ſint, quam Prophetias: Cur Moyſes Prophetarum facilè Princeps mortem ſuam, funus, Iſraëlis planctum, laudes proprias, ac Populi erga Joſuam obedientiam propheticè literis conſecrare non poterat, ac ſeris poſteris mandare?

IX.

Chronologia Pentateuchi.

ARdet controverſia inter doctiſſimos Viros de Chronologia Pentateuchi, ſtantibus aliis pro illa Textus Hebræi, aliis pro illa Verſionis Græcæ, adſcriptæ ſeptuaginta duobus Senioribus. Nobis placet, & placere debet primorum Sententia, quæ cum ſit Vulgatæ, eſt etiam Eccleſiæ Catholicæ, quæ ipſam autenticam pronunciavit in Tridentina Synodo, ſeſſione quarta, decreto de editione, & uſu Sacrorum Librorum. Secundum Hebraicam itaque veritatem ab Orbe condito ad Diluvium fluxere anni 1656. A Di-

Diluvio ad mortem Tharei Patris Abrami, & iſtius vocationem anni 427. A vocatione Abrami ad ingreſsum Jacobi cum familia in Ægyptum anni 215. Ab ingreſsu Jacobi cum Familia in Ægyptum, ad egreſsum Hebræorum è ſervitute Ægyptiaca anni 215. Ab Egreſſu Hebræorum ab Ægyptiaca ſervitute ad mortem Moſis anni 40. minus uno menſe. Summa 2553. Juxta verſionem verò, quæ Septuaginta duobus Senibus tribuitur, numerantur anni a Creatione ad Diluvium 2242. a Diluvio ad mortem Tharei Patris Abrami, cum Chainane 1307., ſine Chainane 1177. A Tharei obitu, & Abrami vocatione ad ingreſsum Jacobi cum ſuis in Ægyptum anni 215. Ab ingreſsu Jacobi in Ægyptum, ad egreſsum populi ab Ægyptiaca ſervitute 215. Ab Egreſsu populi è dicta ſervitute, ad mortem Moſis anni 40. minus uno menſe: ſumma 4019. cum Chainane, abſque Chainane 3879. Comparatis hiſce duabus numerationibus, Calculus hebraici Textus ſuperatur a Calculo Græcæ Verſionis cum Chainane annis 1466., ſine Chainane annis 1336. Hujus verò tam immanis diſcrepantiæ originem tribuimus Corruptioni Græcæ Verſionis, veluti putat D. Auguſtinus lib. 15. de Civitate Dei cap. 13. docens propterea *credendum eſſe potius ei linguæ, unde eſt in aliam per Interpretes facta translatio*, & exiſtimant Bonfrerius cap. 16. Sect. 6. præloq. in Scripturam, Joannes Deſpieres de verſione 70. Interpretum diſp. 2. dub. 5. Joannes Maria Braſichellenſis Pontificii Palatii Magiſter tom. 1. Indicis librorum expurgandorum Editionis Romanæ anni 1607. Nierembergius de Origine Sacræ Scripturæ lib. 7. cap. 19. in fine, ac alii eruditionis fama percelebres: Ex qua pariter Græcæ Verſionis corruptione, ſi natum quis dicat abſque Patre Arphaxade Chainanem illum in Genealogiam Chriſti Domini intruſum Lucæ cap. 3. verſ. 36., & Moyſi, atque Authori Paralipomenorum Esdræ, & fortè ipſiſmet Interpretibus, immò etiam D. Lucæ ignotum, per ipſum haud contemni ſacram Scripturam arbitrantur Dionyſius Petavius lib. 9. de Doctrina temporum cap. 17., & parte 3. libr. 2. cap. 2. de ratione temporum, Joannes Cordeſius in Gallico Libello de Genealogia Chriſti, Petrus Poſsinus in Diallactico Genealogiæ Chriſti cap. 9. &c.: Nos autem cum Venerabili Beda, in Enarratione Evangelii ſecundum Lucam reſpondemus, *Deus noverit*; Et libentius Sententiam noſtram proferimus de annis Tharei, quando genuit Abramum, aſserentes illud Geneſis cap. 11. verſ. 26. *Vixitque Thare 70. annis & genuit Abram, Nachor, & Aram*, intelligendum de tempore, quo Thareo factum fuit initium gignendi, non autem de anno nativitatis Abrami, qui fuit Tharei ejusdem Patris non ſeptuageſimus,

ſed

ſed centeſimus trigeſimus: ſi etenim, ut legitur laudato cap. 11. verſ. 36., *facti ſunt dies Thare ducentorum quinque annorum*, *& mortuus eſt in Haran*, atque Abram, cum mortuo Patre, egreſsus eſt de Haran, 75. annorum erat ablatis his 75. de Tharei annis 205., reſidui fient centum, & triginta, unde concludimus tot annorum fuiſse Thareum, ei naſcente Abramo, & hujus fratres poſt ipſum nominatos; vel quod eosdem dignitate præcelleret, vel quod vellet Hiſtoricus nonnulla breviter de illis perſtringere, de Abramo poſtea, quem præcipue reſpiciebat, accuratiùs pleniùſque toto Volumine locuturus.

X.

Joſue Author Libri Cognominis.

Libri Joſue nomine inſcripti Authorem certum non habemus. Inter duas tamen Sententias, quarum una ab ipſomet Joſua exaratum cenſet, & eſt Sancti Iſidori, Junilii, Dorothæi, Toſtati, Driedi, Serarii, Bonſierii, Nierembergii, Huetii, Dupinii, Thalmudiſtrarum in Baba Bathra cap. 1. Rabbini Moſis Kimhi, Raddaci Hebræi, ac aliorum veterum, & recentiorum longè plurium: Altera Joſue gloriam Scriptionis hujus Libri conatur eripere, ac Samueli, ſive Iſaiæ, aut Esdræ, vel Eleazaro Pontifici maximo circa Mundi annum 3727. P. I. 4437. tribuere, pro qua ſtant Author Synopſeos D. Athanaſio tributæ, Theodoretus quæſt. 14. in Joſue, Iſaac Abravanel, qui floruit anno Eræ Chriſtianæ 1492. Andreas Maſius accuratiſsimus Libri hujus Interpres in præfatione ad eùmdem, Grotius in Joſue, Thomas Hobbius in Leviathan cap. 33. Benedictus Peyrerus in Syſtemate Præadamitarum cap. 1., Spinoſa in Tractatu Theologico-Politico cap. 8. Richardus Simonius in Hiſtoria critica Veteris Teſtamenti lib. 1. cap. 1. & cap. 8. Nos ſecundam amplectimur, ac longè poſt ætatem Joſue, fortaſsis ab Esdra, elucubratum propugnamus: nomine verò Joſue inſignitum opinamur, quòd præclara ipſius facinora complectatur. Hanc autem Sententiam ideo libenter ſequimur, quoniam a permultis, magnique momenti difficultatibus liberat laudatum Librum, quem haud truncam, ſive contractam geſtorum Joſue Hiſtoriam, quod vult citatus Simonius, ſed integram completamque non annorum 10., ut placet Melchiori Cano, & Cajetano, aut 14. ut putat Pererius, ſed decem & ſeptem, ut Beda, & alii tradiderunt, continere affirmamus: Cum etenim Joſue

Digitized by Google

ſue obierit anno decimo ſupra centeſimum, & quinquageſimum tertium compleſset, quando ab Ægypto cum Moyſe egreſsus eſt, manſeritque in Deſerto cum popularibus ſuis Iſraëlitis 40. annis, remanent decem, & ſeptem Imperii in Hebraicam Rempublicam, quorum ſex, non quinque, veluti ſcribit Joſephus lib. 5. antiquit. cap. 1., aut ſeptem, quemadmodum aſserunt Hebræi in Seder Olam cap. 11., ſed quinque expugnandæ Chananeæ, unum partitioni terrarum domitarum inter ſubditas ſibi Tribus, decem quieto ipſarum regimini conſecravit: Numini adèo gratus, ut Solem, ac Lunam nutibus ejus Amorrhæos perſequentis obtemperare, ac ſtare, donec iidem uſque ad internecionem penè conſumerentur, adegerit: quod inſigne Miraculum, licet in Hypotheſi Syſtematis Copernicani faciliùs explanare poſsemus, præmittentes ſacrum Scriptorem in ipſo referendo ſe ſe humanæ imbecillitati, ac populari doctrinæ, ſtyloque attemperaſse, Eccleſiæ tamen Oraculis, ut par eſt, obſequentes, ad illud aliter exponendum, ſuſtinendumque in ipſo, etſi literæ, & verbis Scripturæ tenaciter adhæreatur, nihil contineri, quod Aſtronomorum, ac Philoſophorum rationibus, & calculis non reſpondeat, parati ſumus.

X I.

Samuel Author Libri Judicum.

IN ſtatuendo Scriptore Libri Judicum conjecturis indulgendum: ex quo naſcitur varietas opinionum: Aliis eum arbitrantibus eſse Librum Bellorum Domini, Numerorum 21. laudatum, ut Abrahamus Aben Eſra, qui obiit anno Æræ Chriſtianæ 1165.: Nonnullis apud Janſenium, Maldonatum, & Pinedam ſentientibus contextam fuiſse illius hiſtoriam a ſingulis Judicibus, vel ipſorum Amanuenſibus: Aliquibus autumantibus illum eſse fœtum Sacrorum Scribarum, qui verſabantur in Tabernaculo, quemadmodum Auctor Synopſeos de vita, & morte Prophetarum Dorothæo adſcriptæ: Aliis demum Ezechiæ cum Petro Commeſtore, aut Eſdræ cum Andrea Maſio, ipſum tribuentibus. Nos autem inclinamus in Sententiam Sancti Iſidori, Joannis Benedicti, Serarii, Xyſti Senenſis, Thalmudiſtarum Scriptorum cap. 1. Babæ Bathræ, Moyſis Kimhi, & Iſaachi Abravaniellis, quæ Samuelem in Ramatha, ubi commorabatur poſt electionem Regis Saul, poſtquam inſcriptionem Legis Regni, ut vult Beuterus,

exa-

Digitized by Google

exaraſſe decernit laudatum volumen: Cujus Chronologiam auſpicandam ab anno conditi Orbis 2570. P. J. 3280., quo Joſue Mors juxta Calculum noſtrum evenit, & ultra annum Mundi 2887. P. J. 3597. non producendam cenſemus. Numerantes, a quiete data per Joſuam Terræ, ad quietem per Othonielem (debellato Cushane Meſopotamiæ Rege) terræ reſtitutam annos 40., quorum 10. jam aſſignavimus pacifico Joſue regimini, unde remanent ſoli 30. Inde ad quietem per Heudem (occiſo Eglone Moabitarum Rege) terræ redditam annos 80. Inde ad quietem per Deboram, & Barak) profligato Jabini Regis Chananæorum exercitu) terræ comparatam annos 40. Inde ad quietem per Gedeonem (Madianitis devictis) Terræ obtentam annos 40. Inde ad initium regiminis Abimelechi filii Gedeonis annos 9. & Abimelechi. Tholæ, & Jairis annos 48. Jephthe annos 6., Ibſanis, Elonis, & Abdonis annos 25. Eli, & Sampſonis annos 40. ſed unus detrahi debet, quia Sacer Hiſtoricus librum non clauſit cum morte Eli, qui toto ſaltem anno inter vivos fuit, & Sacerdotis ſummi, & Judicis officio functus eſt in Hebræa Republica, poſtquam Sampſon a Dalila concubina proditus, & abraſo Nazzaræatus ſui Capillitio Philiſtæis deditus, atque carceri mancipatus, creſcentibus deinde Capillis, & viribus recuperatis, Dagonis Edem, in qua Philiſtæorum Primores omnes, & maxima Populi turba convenerant, dejecit: pluribus eo caſu ſecum oppreſsis, quam in tota vita prius interemerat: Unde occaſionem ſumpſere nonnulli de Æterna ipſius ſalute dubitandi, quorum tamen rationibus haud acquieſcendum putamus, a Numine impulſum exiſtimantes hominem parentibus ab Angelo prædictum, divina Benedictione in Nativitate munitum, ac in Lapidem offenſionis, & in ruinam Philiſtæorum a Deo poſitum.

XII.

Samuel Author Libri Ruthæ.

NOn ab alio libellus Ruthæ, quem hebræi teſtibus Euſebio in Hiſtoria lib. 6. cap. 25., & Hieronymo in Prologo Galeato, impingunt in librum Judicum, & veluti ipſius appendicem tenent, conſcriptum opinamur, quam a laudato Samuele, cum reprobato jam Saule, juſſus eſt a Numine Davidem natu minimum inter Filios Iſai, filii Obedis, filii Boozi Mariti Ruthæ, Sacro oleo perfundere ut

For-

Formoſi Pecoris cuſtos formoſior ipſe.

Rex eſſet in Iſraël: haud enim a vero abhorret tunc Prophetam de texenda ipſius genealogia cogitaſse. Judex vero, ſub quo hiſtoria evenit, quam complectitur, cujus nomen ſacer Hiſtoricus tacet, nobis non Aod cum Hebræis in Seder-Olam cap. 12., ſed Sangar videtur, qui & ipſe, ut inquit Scriptura, Judicum cap. 3. verſ. 31: *Poſt hunc quoque defendit Iſraël*: Raab namque ex Salomone Boozi Mater, illa extitit Mulier, quæ Exploratores per Joſuam in Urbem Jerico miſsos benignè excepit, abſcondit, ac tutam ad ſuos remeandi viam docuit quam ſi ſupponamus primo in loco poſt annos 42. ab ingreſsione Iſraelitarum in Terram Chanaam peperiſse Boozum, deinde ipſi Boozo jam Seniori, cum Rutham duxit Uxorem, veluti illius ad iſtam verba cap. 3. verſ. 10. oſtendunt, centum & duos annos ante generationem Obedi tribuamus, conflatur numerus annorum 144. Quamobrem huic hiſtoriæ aſſignandus videtur annus ab Orbe condito 2697. P. I. 3407. qui fuit annus 18. inter quietem 80. Annorum datam terræ ab Heude, & quietem datam eidem terræ per Deboram, & Barak: Neque iſta annorum numeratio repugnat Scripturæ cap. 6. tertii Regum verſ. 1. narranti domum Domini cæptam ædificari anno diſceſsus Filiorum Iſraël de terra Ægypti 480. Regni vero Salomonis 4. quia datis Obedo annis centum & undecim, ante filium Iſai, & totidem Iſai, qui, ut dicitur lib. 1. Regum cap. 17. verſ. 12. erat Vir *in diebus Saul Senex*, & *Grandævus inter Viros*, ante natum Davidem, & Davidi 70. ante Salomonem ad Solium evectum, ac tandem 4. Salomoni ante cæptam Templi ſtructuram additiſque annis 40. per Hebræos in Deſerto actis, & 42. Rahab ab ingreſsu Iſraëlitarum in terram Chanaam ad Boozzum editum, & 102. Boozzo ante ortum Obedi, habemus annos 480. a diſceſsu Hebræorum ex Ægypto ad jacta fundamenta Templi Salomonici: Quamobrem majori reverentia in Sacram Scripturam uti miramur Jacobum Uſserium, Etherodoxum Chronologum, & noſtræ Sententiæ Patronum, quam Ignatium Hyacinthum Graveſonium Catholicum Doctorem, qui in tractatu de Vita, Myſteriis, & Annis Chriſti tom. 1. diſ. 4. pag. 95. Impreſsionis Romanæ Hieronymi Mainardi 1724. opponentibus iſtam difficultatem reſpondere non dubitat *Matthæum a tempore, quo Salomon duxit Uxorem Rahab, hoc eſt ab ingreſſu Iſraëlitarum in terram Chanaam, uſque ad ortum Davidis Regis, aliquas generationes ſilentio præteriiſſe*. Num ſolus Matthæus? Sed & Author Libri Ruthæ Samuel cap. ult. verſ. 21. 22., & Paralipomenon Scriptor Esdras lib. 1. cap. 2. verſ. 11. 12. 13. 14. 15. nullum alium adducit in genealogia Davidis, quam tamen mancam

cam

cam non judicamus, atque tam tardas potius in una eademque familia quater admittere generationes audemus, in quo aliquid dumtaxat raritatis, nihil miraculi agnoſcimus, veluti multis allatis exemplis evincit memoratus Uſserius in Chronologia Sacra cap. 12., quam vel in afflatis divinitùs hominibus truncas Scriptiones ſuſpicari, vel ridiculum Commentum de Tribus Boozis cum Lyrano ſomniare, & cum Saliano ineptè approbare.

XIII.

Samuel, David, Jeremias Authores Librorum IV. Regum.

SAmuelis eſſe tuemur viginti quatuor dumtaxat priora capita primi duorum librorum, qui ab Hebræa gente Samuelis, a Græcis Regnorum, a Latinis Regum nuncupantur; nonnullis tamen additamentis, ab aliquo poſteriorum temporum Sacro Scriptore aucta; quale procul dubio illud cenſemus cap. 7. verſ. 2., quo Arca viginti annis manſiſſe dicitur in domo Abinadab, cum id verum tantummodo fuerit, quando poſt 7. annos a Samuelis morte, illam Rex David ſolemni pompa inde tranſtulit in ædes Obededom. Reliquorum 7. Capitum primi Libri, atque totius ſecundi Scriptionem non Nathano, aut Gaddo, ſed cum Iſidoro Hiſpalenſi laudato Davidi adſcribimus, per quem hiſtoria Samuelis ſuſcitati, & colloquia cum Saule miſcentis, ac miſerum belli eventum eidem prædicentis ita pingitur, ut in ipſa exponenda non ſit, cur a Litera Scripturæ recedatur: Quamobrem nonnullorum Rabbinorum Sententias, nimirum Samuelis Ophni, aſſerentis Pythoniſſam per ſuppoſitum callidè virum, antea de omnibus inſtructum, totum rei eventum, qualem jam conjiciebat futurum, trepidanti Regi, ac Samuelem ſe audire autumanti nunciaſse: & Ben-Gerſonis contendentis omnia errore Phantaſiæ in mente Regis acta eſse, ac tandem Iſaaci Abravanielis perſuaſum habentis, Dæmonem ſub ementitis Prophetæ ſpoliis omnia Sauli intimaſse, quæ ipſe eventura conjectando aſſequebatur, haud approbamus: rejicientes pariter opinionem Juſtini Martyris, & Origenis, ac Anaſtaſii Antiocheni, qui Magicorum Carminum vi evocatum Prophetam, nempe Dæmonem, in animas etiam Juſtorum poteſtatem exercere, ipſaſque interdum cogere, ut evocatæ ſibi pareant, literis tradiderunt: at-

Digitized by Google

atque affirmantes verè Samuelem, ſive in Corpore, ſive extra Corpus, non excantationibus Pythoniſſæ, ſed æterni Numinis juſſu impulſum, Sauli apparuiſse, locutumque cum ipſo ita fuiſse:

Ut quoque poſt Mortem prophetica jura teneret.

quemadmodum de ipſo cecinit author carminis in Marcionem lib. 3. Libros vero tertium, & quartum, neque per Iſaiam, neque per Esdram, ſed Thalmudiſtas ſequentes, arbitramur per Jeremiam exaratos. Horum primum multa conſpurcant ſcelera, multa illuſtrant præclarè geſta. I. Adonias, Davide Patre adhuc in Iſraëlitico Solio ſedente, Regium ſibi nomen vindicans, in rebellionis nefarium crimen impegit, & ideo ipſum potuiſse ab eodem Patre, ac Rege plecti privatione Regni, ad quod, veluti Filius, tunc temporis natu major, jus habebat, non improbamus. II. Salomon, quem Mulieres a Deo averterunt, tactus in ſenectute dolore cordis intrinſecùs, veniam a Benigniſſimo Numine impetravit, cumque in Templo eidem conſtruendo, omnes magnificentia homines facilè vicerit, in æternæ Gloriæ Templum miſericorditer admiſſus, piè creditur. Laudati autem Templi jacta fuiſſe fundamenta anno Creationis 3033. P. I. 3743., Egreſsionis filiorum Iſraël de terra Ægypti 480. non integro, ſed quadringenteſimum ſeptuageſimum nonum diebus dumtaxat 17. ſuperante, Regni Salomonis 4., menſe Zivo, ideſt die vigeſima prima Maii, feria 2. aſſerimus contra Severum Sulpitium lib. 1. Sacræ Hiſtoriæ, qui anno a dicto egreſsu 588. Nicolaum Serarium in cap. 6. tertii Regum, qui 680., Ludovicum Capellum in Chronologia ſacra tab. 9., qui 580. Librariorum negligentiam culpantes cœptum Salomonici Templi ædificium contendunt; & adverſus Melchiorem Canum lib. 11. Locorum Theologicorum cap. 5., ac Emanuelem Sà in ſuis ad illum Regum locum notis, atque Laurentium Codomanum Chronologiæ lib. 2. cap. 17., qui variis, ſed infirmis rationibus evincere conantur interjectum tempus a diſceſſu Hebræorum ex Ægypto ad inceptam Domum Domini, illi annorum extitiſſe 590. hic 598. Quorum quidem nobis, ut cenſura utamur doctiſsimi Viri Dionyſii Petavii lib. 9. de doctrina temporum cap. 32., nimis effrænata graſſandi in Scripturam Sacram licentia, coërcenda, & repudianda videtur. Alter verò duorum Regnorum Iſraëlis, & Juda everſionem complectens anſam nobis præbet hæc duo decernendi: I. ſaniorem partem 10. Iſraëliticarum Tribuum, quæ excuſſo Domus David Jugo, ad Jeroboamum anno Mundi 3029. P. J. 3739. circa menſis 3. diem 23. defecerunt, & partim a Teglaphalaſſare, ſeu Nino juniore anno Mundi 3264. P. I. 3974. partim a Salmanaſsare anno conditi Orbis 3283. Per Jul. 3993. depor-

B

portatæ, ac diſperſæ fuere, tandem diverſis temporibus, diverſiſque a Principibus nempe Cyro, Dario Hyſtaſpis, Artarxexe, & Alexandro magno reſtitutam jure poſtliminii, ſuis ſedibus fuiſſe, ac ſenſim, & per turmas in patriam remeaſſe; idque prædictum, & quidem haud obſcurè ab Iſaia cap. 27. verſ. 12. 13. Jeremia cap. 3. verſ. 18. & cap. 16. verſ. 14. 15. & cap. 31. verſ. 7. 8. 9. & cap. 49. verſ. 2. & cap. 50. verſ. 4. Zacharia cap. 9. verſ. 13. & cap. 10. verſ. 6. 10. Tobia cap. 13. verſ. 12. 17. Azaria Filio Obed. 2. Paralipomenon cap. 15. verſ. 1. 2. 3. 4. & Michæa cap. 2. verſ. 12. ſecundum annorum 70. Babylonicæ captivitatis, de quibus prophetia Jeremiæ cap. 25. verſ. 21. & cap. 29. verſ. 10. ducendum eſſe initium a prima omnium Jehojackimi Regis, & populi Judaici ſub Nabuchodonoſore facta ſervitute anno mundi 3398. P. J. 4108. Regni ejusdem Jehojackimi 4. Nabuchodonoſoris primo menſe Cisleu, non autem ab aliqua poſteriorum deportationum.

XIV.

Chronologia IV. Librorum Regum.

Libri 4. Regum ab anno Mundi 2846. P. J. 3556., quo Anna Elcanæ Uxor Filium Samuelem a Deo precibus impetravit ad annum Mundi 3442. P. J. quo Evilmerodacus Jechoniam Regem Juda e Carcere ſolvit, hiſtoriam complectuntur: maximam verò partem interjecti temporis replent anni Chronologici: Regum totius hebrææ gentis, qui initium ſumunt a bis milleſimo nongenteſimo nono, & finem habent ter milleſimo undetrigeſimo, ideſt 40. Saulis 40. Davidis, numeratis tamen ſeptem illis cum dimidio, quibus imperavit ſuper ſolam Domum Judæ, Salomonis 40.: Regum Judæ anni pariter Chronologici 387. & menſes 6. qui incipiunt anno M. 3029., & finiunt 3416., nimirum Roboami 17. Abiæ 3. Aſæ 41. Joſaphati 25. Jorami ſine patre 4. Ochoziæ 1. Athaliæ 6. Joaſi 40. Amaſiæ 29. Oziæ 52. Joathan 16. Achaz non 16., ſed 14., quia primum communem cum Patre habuit, poſtremus videtur nobis ejusdem filio Ezechiæ concedendus, id enim poſtulant ipſius Ezechiæ & Oziæ Regis Iſraël primordia, Ezechiæ 29. Manaſſes 55. Amon 2. Joſiæ 31. Joachaz menſes 3. Joachimi anni 11. Jechoniæ menſes 3. Sedeciæ anni 11.: Regum Iſraël, qui, ſciſſo Hebraico Regno, Imperii habenas ſuper decem Tribus ſumpſere

pſere, eodem anno 3029. quo Reges Judæ, ſed ab eorum manibus abreptæ per Salmanaſsarem Aſsyriorum Regem fuerunt circa annum 3283. vel 3284. haud completum, anni Chronologici 254. menſes 7. dies 7., nempe Jeroboami anni 22.,ſed de vigeſimo ſecundo pauci dies, Nadab 2. unus cum patre, alterius initium cum patre, & finem cum Baaſa, cui 23. dumtaxat adſcribuntur,non autem 24., quia vigeſimi quarti maximam partem, ideſt menſes 11. cum dimidio, Ela ipſius filius ſibi vindicat, Zambri dies 7., Amri 11., & non 12., cum decimum ſecundum attigerit quidem, aſt non impleverit, Achabi ſoli 21. Ideò enim tribuit illi Scriptura 22., quoniam ejus Regnum occupavit particulam anni poſtremi patris ſui, Ochoziæ 1., licet 2. referat cap. 22. tertii Regum verſ. 52., quia poſtremo patris, cum ipſo regnaſse deducitur ex laud. Cap., Jorami 12., Jeu 28., Joachaz 16., nam quintò decimo conſortem Regni adhibuit, Joaſum, eum eoque regnavit ſextum decimum, & particulam decimi ſeptimi, alias non intelligitur quomodo cap. 13. quarti Regum verſ. 1. dicatur ad Iſraëliticum Solium evectus anno 23. Joaſi Regis Judæ, & verſ. 10. ejusdem cap. Joaſus ejus filius anno 37. Joaſi Regis Judæ regnaſse ſuper Iſraël in Samaria, Joaſi 16., qui tamen novum regnandi cœpit exordium propè incipiente anno 39. dicti Jaſi ſuper duas Tribus Juda, & Beniamin imperantis, Jeroboami Secundi 41., Zachariæ menſes 6., Selumi menſ. 1., Manachemi anni 10. Phacejæ 2., Phaceæ non 29.,ſed 20., veluti traditur lib. IV. Regum cap. 15. verſ. 27., tandem 18. Oſeæ poſtremi Regis Iſraëlitarum, qui duplex regnandi auſpicium habuit: alterum ab anno Joatami 20., ideſt Achaz quarto, quemadmodum affirmatur cit. cap. quarti Regum verſ. 30. (quoniam hiſtoriæ ſacræ Scriptor, cum nullam adhuc Achaz mentionem feciſset, a Regno cepto Joatami temporis notationem ducendam eſse cenſuit, licet annis non amplius 16. eum regnaſse tradat verſ. 33., ejusdem) cap. uſque ad memorati Achaz duodecim, in quo nonum annum attigit: Alterum ab anno 12. dicti Achaz jam finito, & inchoato 13., uſque ad Regni Iſraëlitici exitum, ideſt ſextum Ezechiæ, qui ut diximus, primum Regni annum cum Patre communem habuit. Involvitur hæc Regum Judæ, & Iſraelis Chronologia multis difficultatibus, quarum nonnullas ita diſſolvimus, videlicet 1. Cum ſacra Hiſtoria enarrat tertio Regum cap. 16. verſ. 23. Amri anno 31. Aſæ Regis Juda imperaſſe ſuper Iſraël 12., ſive potius, ut diximus, 11. annis, nos haud deducendos propugnamus ab anno, quo ſolus in Throno Iſraëlitico ſedit, qui fuit 31. Aſæ, ſed a 27. ejusdem Aſæ quo mortuo Zimri, Populus Iſraëliticus in partes diviſus, una Ipſum, altera Thybrim ſequente, Re-

 gium

gium quidem nomen aſſumpſit, Regia verò jura in univerſas 10. Tribus, niſi emulo deinde vita functo, exercere non potuit, alias ſequeretur Omri ſuperſtitem fuiſse Aſæ, quamvis Achabus ejuſdem Omri filius, & ſucceſsor cap. 16. tertii Regum verſ. 28. 29. Patre Omri viam univerſæ carnis ingreſso, regio donatus Diademate referatur anno 38. laudati Aſæ II. Illis verbis verſus 1. cap. 15. lib. Quarti Regum *Anno 27. Jeroboam Regis Iſraël, regnavit Azarias filius Amaſiæ Regis Juda*, non indicatur annus, quo regia jura in Azariam per mortem patris translata fuerunt; hic enim fuit 16. dicti Jeroboami ſecundi, ſed annus quo a Tutoribus liberatus Regnum Judæ cœpit auctoritate propria gubernare, qui fuit Jeroboami 27.; Infans namque vix annorum 4. a Patre Amaſia relictus per 12. ferè annos Tutorum opera Regnum adminiſtravit: Hoc autem modo conciliatur allatus Textus cap. 15. cum iis, quæ habentur cap. 14. verſ. 2. 16. 17. & 23. ex quibus infertur, exordium Regni Azariæ ſtatuendum eſſe anno 16. non 27. Jeroboami, & corruptionis ſuſpectus redditur numerus dicti verſus 1. cap. 15.: quæ tamen hujus nodi ſolutio, ſi admittatur, aſſeramus oportet Azariam non obiiſſe anno ætatis 68., veluti tradidit Joſephus libr. 9. Antiquitatum cap. 11., ſed 56., quia 4. tantum annos natus regnum mortui Patris accepit, non autem cum in ſexto decimo poſitus illud regendum ſuſcepit, & 52. anni regni a 4. non a 16. ſunt deducendi.

XV.

Esdras Author Paralipomenon.

IN re maximè incerta, nihil certi decernere præſumimus: Quamobrem in Authore Librorum aſſerendo, qui hebraico vocabulo Dibbre Hiamim, hoc eſt *Verba Dierum*, græco *Paralipomena* nempè *Prætermiſſa*, inſcripti ſunt. A Thalmudiſtarum Sententia, qui Esdræ illos tribuunt cap. 1. Babæ-Bathræ, non abhorremus, videntes præſertim eam minimè diſplicuiſse Driedoni, atque Xyſto Senenſi, qui non Iſaiam aut Jeremiam, ut aliqui, ſed laudatum Esdram illorum Auctorem dixere. Aſt quemadmodum illi morem noſtrum eosdem in Bibliis ad ſuum uſum diſtinguendi in duos, licet una contextus Serie olim jungerent, ſecuti fuere, ita & nos eorum opinationem amplectimur, & indiverſa eſse profitemur, tum ab iis qui opus iſtud ador-

adornatum cenſent ab eodem Authore, ac libri Regum. Num de Authore ſacro credendum eſt per ludum ſuſcepiſse nobis negotium faceſsere, ingeniumque noſtrum torquere? Verum id efficiunt, quæ in adſcriptionibus temporum, in rerum circumſtantiis, genealogiis, atque nominibus propriis varia, & ſæpe adverſantia in Paralipomenon Libris, ac in Libris Regum leguntur: tum pariter ab iis, qui Volumen illud *Verborum Dierum*, in libris Regum memoratum, cum noſtro Paralip. Volumine, confundunt, ſiquidem plura in illo reperiri narrantur, quæ fruſtra in hoc quæruntur. Nec placere poteſt quod D. Hieronymus in præfatione ad Domnionem, & Rogatianum ipſi præpoſita ſtatuit, nimirum, res indicatas in libris Regum, ſi minimè occurrant in Paralipomenis, ad quæ remittitur Lector, eſſe allegoricè exponendas: id enim, ſi recipiamus, ſanè omnia reperientur in omnibus, & magnum figmentis hominum oſtium patefiet: Librum tamen illum *Verborum Dierum*, ad quem remittimur in Regum Libris, utinam infortunia Judæorum nobis non eripuiſſent: ſi namque præ manibus adhuc haberemus, facile multa difficillima ſolverentur. Verum non ideò non ſolventur. Adverſus Cajetanum itaque in ſecundum Paralip. cap. 15. verſ. 16., Joannem Lucidum lib. 2. temp. cap. 9., ac Melchiorem Canum de locis Theologicis lib. 11. cap. 5. propugnamus fieri potuiſse ut Baaſa Rex Iſraël anno 36. Aſæ Regis Juda muro circumdederit Rama Urbem ad Tribum Beniamin ſpectantem, veluti narratur cap. 16. 2. Paralip., & ſimul viam univerſæ Carnis ingreſsum fuiſse anno 26. ejusdem Regis Aſæ, ut colligitur ex cap. 16. tertii Regum verſ. 6. & 8., ubi eo anno Ela, patre Baaſa defuncto, Regnum Iſraëliticum cœpiſse dicitur: Cum ex una parte enim Regna modo a populis denominentur, modo a perſonis regnantibus, Regnum Aſæ, hic appellatur Regnum Juda, a diviſo populo, quod tunc obtinebat Aſa: Ex alia verò quando Baaſa muro circumdedit Rama, a diviſione Hebrææ Reipublicæ in Regnum Juda, & Regnum Iſraël anni fluxerant 36. nimirum 15. Regni Aſæ, quo rediit e confecto bello Æthiopico, poſt quod bellum non fuit uſque ad annum 35. Regni laudati Aſæ 2. Paralip. cap. 5. verſ. 19. Roboami anni 17. ac 3. Abiæ, unde trigeſimus ſextus jam cœperat, cum Baaſa muro contendit Urbem Rama munire, ne ullus tutè poſset egredi, & ingredi de Regno Aſa. Contra Dionyſium autem Petavium, virum alioqui de Chronologia optimè meritum, & facilè Chronologorum Principem, niſi poſt ipſum floruiſſet Jacobus Uſſerius, defendimus, immunem eſſe a corruptione numerorum, tam ſecundum verſum cap. 22. citati lib. 2. Paralip., quo hæc referuntur, *regnavitque*

Digitized by Google

Ochozias filius Joram Regis Juda : Quadraginta duo annorum erat Ochozias, cum regnare cæpiſſet in Jeruſalem, & nomen matris Athalia Filia Amri, *quam* vigeſimum verſum cap. 21. ejuſdem Libri, ubi ſcriptum cernimus *triginta duorum annorum fuit* (Joram) & octo annis regnavit in Jeruſalem, quamvis pugnantia complecti videantur. Filius enim patris quadragenarii, ſi regno ipſius ſtatim poſt illum donetur, nequit, cum Sceptrum accipit ejus ætatem duobus annis ſuperare: Cur namque in hunc modum diſponi nequeunt illa verba, & omnis excludetur numerorum corruptio? Regnavitque Ochozias Filius Joram Regis Juda, & ejus matris nomen Athalia, filia Amri, quæ 42. annorum erat, cum regnare cœpiſſet, & uno anno regnavit in Jeruſalem? Numquid ejuſdem obſcuræ trajectionis exempla deſunt? In Textu hebræo habentur, & quidem tam multa, ut inopes nos copia faciat. Hanc elegimus ſententiam, quoniam quæ ſolutio a Sacri Textus corruptione ſumitur, ut monet Abulenſis in 2. Paralip. q. 3. plena eſt periculo: ſi etenim in uno loco Scripturæ corruptionem fateamur, de omnibus aliis locis dubitabimus, an corruptio ibi ſit, ſicut dicit Auguſtinus. Aſt hæc attigiſſe ſufficiat, ut nullum in ſacra Scriptura nodum reperiri conſtet, qui adjuvante Numine, diſſolvi non poſſit. Sunt Paralip. Libri, ut verbis utamur D. Hieronymi, *Inſtrumenti Veteris Epitome*, & ideò hiſtoriæ, quam complectuntur, & Creationis Mundi idem initium, finis verò annus conditi Orbis 3468. P. J. 4178. quo Cyrus Perſarum Rex Orientis Monarchia potitus captivis Hebræis poteſtatem revertendi in Patriam conceſſit, & reduces Templum Deo Jeroſolymis reædificare præcepit illo celebri Edicto cujus initium *Hoc dicit Cyrus Rex Perſarum, &c. Omnia Regna Terræ dedit mihi Dominus Deus Cæli, &c.* ſed non illico poſt Cyrum horum Librorum Scriptio. Illorum Ætatem in tempora Darii Hyſtaſpidæ, & Artaxerxis Longimani incidiſſe defendimus, quorum primus ab anno M. 3483. P. J. 4193. uſque ad M. 3519. P. J. 4229. regnavit ſecundus ab anno M. 3139. P. J. 4249. ad M. 3579. P. J. 4289. Et ab Hebræis diſcedimus, qui eorumdem editionem poſt exaratum Eſdræ librum ponendam autumant.

XVI. *Eſdras*

Digitized by Google

XVI.

Eſdras Author totius primi Libri Cognominis, Neemias Author ſecundi Libri, Eſdræ nomine inſcripti.

ÆGrè diſcedimus a Sententia Clariſs. Petri Danielis Huetii Epiſcopi Abrimcenſis, qui in libro Demonſtrationis Evangelicæ prop. 4. cap. 14. ſect. de libris Eſdræ num. 1. aſſerit ſex priora primi Eſdræ Capita ipſi Eſdræ non eſse tribuenda, ſed quatuor poſtrema tantum ad eumdem pertinere: Diſcedimus tamen, ac fœtum ſolius Eſdræ agnoſcimus primum ex duobus libris, qui ſunt ejus nomine inſigniti: Illis etenim verbis cap. 5. verſ. 4., quæ Vir doctiſs. ſignificare contendit Authorem unum fuiſſe reſpondentium, & Eſdræ tunc temporis, anno nimirum 6. Darii Hyſtaſpidæ forte nondum nato, certè Jeroſolymam non adhuc reverſo haud convenire poſse, uti ſolent Hiſtorici, cum quidpiam referunt per ſuos conterraneos geſtum, licet nullas in ipſo partes habuerint, idque inficiabuntur nulli, qui vel primoribus labiis hiſtorias attigere. Verùm ſubit indignatio: eo pervenit inſulſiſſimi Spinoſæ in tract. Theol-Pol. inſana contradicendi libido, ut Eſdram e poſſeſſione Scriptionis Libri Cognominis poſt 2010. & amplius annos deturbare non erubuerit, ut in incertum hominem, longè poſt inſtauratum a Juda Machabæo Templi Cultum, ejusdem transferat lucubrationem, quam nos temeritatem damnamus, & catenis potius, quam argumentis coërcendam cenſemus. Aſt ſicuti pati nequimus a Præſule modeſtia, atque doctrina percelebri, alteri tradi partem lucubrationis Eſdrinæ, ita nimio erga ipſum ſtudio impulſi nolumus, vel infandum Scelus in Chronologiam perpetrare, dicentes cum Optato Milevitano exciſos penitus, & abolitos per Antiochum Sacros Codices fuiſse ab eodem ante dicti Regis, imò & Patris, & Avi, & fortè Proavi ejus ætatem jam vita functo, reſtitutos, atque memoriter dictatos; vel hominum credulitate abuti, venditantes cum Xyſto Senenſi par. 2. Bib. Sacr. ab illo bis centum & quatuor libros fuiſse æditos. Quod aſſerimus de Eſdra, Scriba veloci in lege Moyſi, eſt, ipſum divinos libros per Captivitatis Babylonicæ diuturnitatem, & populi incuriam amiſsos, penes ſe reſervaſse, ac ſuo deinde tempore protuliſse, in unum Corpus compoſitos, atque perpolitos, & nihil aliud. Tempus,

quo Eſdras Volumen ſuum exaravit, incertum. Verùm ſi fides Beniamino Tudelenſi adhibeatur, qui nobis ſuadere ſatagit illum ad Artaxerxem profectum obiiſse, & ad Semuram Fluvium in Perſici Regni limite eſse ſepultum: cum dictus Rex alius eſse non potuerit, quam Longymanus, qui Perſis imperavit ab anno Per. Jul. 4249. ad 4289., laudatum librum circa finem dicti temporis conſcriptum poſſumus non temerè affirmare, ac hiſtoriam Reducum Judæorum complecti, ab anno primo Monarchiæ Cyri in Oriente, qui fuit Mundi 3468. Per. Jul. 4178. ad annum Mundi, ut putamus, 3538. Per. Jul. 4248., quo Eſdras de affinitate Iſraëlitarum cum exteris certior factus, poſt luctum, & jejunium ſuum, ac publicum, Authore Sechenia, ad voto ſe ſe adſtringendos eosdem impulit, ut ipſas cum liberis dimitterent. Qui Eſdræ ſecundus dicitur, nullus dubitat, quin ſpectet ad Neemiam, cujus præclaro nomine ejus initium adornatur, ſed quia utrique libri ea continent, quæ ſimul ab Eſdra, & Neemia geſta ſunt, tam apud Hebræos, quam apud Græcos in unum coarctantur volumen, quod ab Eſdra, cujus lucubrationes priùs occurrunt, potiùs quam a Neemia nuncupatum eſt. Nunc Authorem, qui propugnaret inter Sacerdotes minime numerandum, ex Tribu Juda prognatum aſsereret, & fortè probaret, teſtimonium proferens Græci Exemplaris, in quo ubi Machabæorum ſecundo cap. 1. verſ. 21. legitur in Vulgata: *Juſſit Sacerdos Neemias aſpergi ipſa aqua, & ligna quæ erant ſuperpoſita*, habetur, *ſed juſſit Sacerdotes Neemias aſpergere ipſa aqua, & ligna, & quæ erant ſuperpoſita*, ac evincere niteretur illam notationem verſus 8. cap. 10. hujus libri *Hi Sacerdotes*; non ad proxime præmiſsa nomina, inter quæ primum locum tenet illud Neemiæ, ſed ad reliqua pertinere, nihil contra rectæ Critices regulas diceret, ſed nos captivamus intellectum in obſequium Oraculorum ſeſſionis 4. Sacroſancti Tridentini Concilii, & quem Vulgata Sacerdotem appellat, pro Sacerdote habemus; dummodo tamen hoc nomen Sacerdos, vel Principem, vel Satrapam, veluti cap. 8. ſecundi Regum verſ. 18., ubi Davidis filii Sacerdotes nuncupantur, hoc eſt Principes, ſignificare intelligatur. Fuiſse itaque Neemiam Sacerdotem, ſcilicet Principem, non inficiamur, & adverſus Scaligerum in proleg. eruditiſs. Operis de Emendatione Temporum vixiſſe, ſuſtinemus, Ævo Artaxerxis, non Mnemonis, ſed Longimani: Neemias enim fuit ſyncronus Malachiæ Prophetæ, quemadmodum evincunt eruditiſs. Viri Petrus Daniel Huetius in Demoſtratione Evangelica, prop. 4. cap. 14. ſect. de libris Eſdræ, Jacobus Uſſerius in annalibus ætate Mundi 6. ad annum 3590. pag. 116., & Ludovi-

cus

cus Elias Dupinius in proleg. Scripturæ Sacræ cap. 3. §. 22. ac alii. Cum itaque Malachias colligatur floruiſſe tempore Artaxerxis Longimani, quia, ut tradit D. Hieronymus lib. 13. Commentariorum in Eſdr. cap. 49. Prophetarum agmen clauſit uſque ad Joannem Baptiſtam, & dicti Regis ætate Reſpublica Hebræorum, texte Joſepho lib. 2. contra Appionem, carere cœpit Prophetis, conſequitur Neemiam pariter ſyncronum Artaxerxi Longimano extitiſſe; & contra inſanum Authorem tractatus Theologico politici, hæc ſtatuimus. I. Neemiam inter vivos nondum fuiſſe, ut ipſe putat, cum Cyrus veniam dedit Judæis Templi reædificandi, ſed natum circa quartum dumtaxat annum Artaxerxis Longimani, a quo ad mortem Darii Codomani anni ſolum intercedunt 132. ad quam ætatem eumdem pervenisse, neque novum, neque mirum, veluti optimè notat Scaliger de emendatione temp. lib. 6. II. Ad finem properante Regno Darii Nothi, hoc eſt anno Per. Jul. 4310. Jaddum in Mundum ingreſſum, unde potuit nundum octuagenarius Alexandro Magno Jeroſolymam, capta Tyro, petenti, anno ſecundum Uſſerium Per. Jul. 4382. obviam prodire. III. Duos fuiſſe Sanaballetos: alterum Artaxerxis æqualem: Darii Codomani, & Alexandri Magni alterum, & ideo argumentum ex Sanaballeti diuturnitate conflatum nullius momenti. IV. Filium illum Joada, filii Eliaſib Sacerdotis Magni, quem Neemias fugaſse narrat, Uxorem duxiſſe filiam Sanaballeti Senioris, Regno Mnemnonis incipiente, quo erat Neemias 56. annorum. V. Neque Eſdram excripſiſſe traditas Genealogias è Neemiæ libro, neque Neemiam è libro Eſdræ, hunc enim poſt ſecundam tantummodo transmigrationem, jam centum & viginti annos natum, obiiſſe nonnulli opinantur.

XVII.

Tobiæ Liber non Drama, ſed Hiſtoria. Authores duo Tobiæ Pater, & Filius.

PAuli Fagii, qui Librum Tobiæ Drama, ſeu Comædiam appellare auſus eſt, & Hugonis Grotii, qui totam ejus hiſtoriam, ad Parabolam, & Rethorum allegoriam redigere contendit, Sententiam deteſtamur, libenter cum Xyſto Senenſi, Bellarmino, Serario, Tirino, Nierembergio, Huetio, Dupinio in eam concedentes, quæ vult 12. priorum ejus ſcriptionis capitum Authorem Tobiam pa-

Digitized by Google

patrem decimi tertii & decimi quarti ad poſtremos uſque duos verſus Tobiam filium; horum vero aliquem ex Tobiæ juvenis filiis: nititur enim cap. 12., quo Tobiam utrumque jubet Angelus caſus ſuos, ut habet Græcus Interpres, & Syrus, literis conſecrare: *Scribite*, inquit, *in libro quæcumque evenerunt*. Aſt quo idiomate? Lucubratus legitur Chaldaica, Hebraica, Græca, & Syriaca lingua. Verum Chaldaicus ſermo regionis, quam incolebant Captivi Tobiæ, Chaldaica libri Oratio, & ex Chaldaico Archetypo derivata D. Hieronymi Verſio, nobis ſuadent, ut ex Authoribus exaratum Chaldaicè cenſeamus, non autem Hebraicè: neque tamen aberramus cum Rab. Davide Ganz, qui temerè in Chronologia Judaica edita Pragæ anno 1592., & a Guglielmo Vorſtro haud accuratè Latio donata, eructat editionem Tobiæ a Sebaſtiano Munſthero factam per eumdem confictam, & ſuppoſitam, eaſque res, quas complectitur, falſas, & commentitias: ſed Judæi omnes audaciam ridemus, ac improbamus. Num Origenes, cum ad Africanum ſcripſit accepiſſe ab Hebræis libros Tobiæ, & Judith ab eis hebraicè ſcriptos fabulam venditavit? Quod de Hebræo Tobiæ Codice a Munſthero edito effutivit Rabbinus, cur non pariter de edito a Fagio, cum inter ſe maximam habeant affinitatem? fortè non noverat. Ex iſtis hæbraicis Verſionibus ſicuti ex Græca, & Syriaca haud parum utilitatis percipi opinamur: ab ipſis namque habemus unde abſtergere valeamus neum, qui Typographorum, ut putamus, incuria, in Vulgatam noſtram irrepſit cap. 3. verſ. 7. hujus Libri, ubi Sara filia Raguelis in Rages Civitate Medorum improperium ab una ex Ancillis patris ſui dicitur audiviſſe. Quî nam fieri potuit, ut Sara habitaret in Rages, ſi a Tobia juvene, jam Saræ Marito, & in Saræ domo cohabitante, exoratus fuit Azarias, ut aſſumptis ſibi animalibus, & ſervitio, iret in Rages ad Gabelum pecunias accepturus, quas Tobiæ patri debebat! Hæc inter ſe pugnant, ideoque non ita legendus videtur laudatus 7. verſus cap. 3. *Eadem utique die contigit, ut Sara filia Raguelis in Rages Civitate Medorum, & ipſa audiret improperium ab una ex Ancillis Patris ſui* quemadmodum habet Vulgata noſtra: *Sed eâdem utique die contigit, ut Sara filia Raguelis in Ecbatanis Civitate Medorum, & ipſa audiret, &c.* in Ecbatanis enim ſcribitur ab Hebræo, Græco, & Syro Interprete. Iſta autem de hoc notaſſe Vulgatæ loco vitio nobis non detur; fortaſſis ex iis eſt, quæ Clementi hujus nominis inter Romanos Pontifices VIII. immortalis Gloriæ Principi viſa fuere mutanda, nec tamen, ut ipſe ait in præfatione ad ſuam ejusdem Vulgatæ editionem, juſtis proculdubio, prudentibuſque rationibus mutata ſunt. Saræ mentionem fecimus:

ipſa

ipſa verò nobis occaſionem præbet nonnulla decernendi ad ipſam, ejusque Sponſam pertinentia. Defendimus itaque: I. Nomen Aſmodæus, quo nuncupatur Dæmon, qui gravis inſtitit ſeptem Viris ad Saræ Thalamum accedentibus, non eſse nomen æque omnibus malis Angelis commune, ſed aliquem malum Angelum peculiarem, voce illa deſignari plectendis laſcivis procacjoribusque hominibus a Deo præpoſitum. II. Hunc Dæmonem nihil habuiſse Virium in Saram honeſtiſſimam probamque Puellam, nec illam obſediſse, ſed invitum licet, ac reluctantem lectiſſimo Juveni Tobiæ reſervaſſe. III. Aſmodæum, Dæmonesque omnes a materia pænitùs eſse ſecretos, illisque aptari non poſſe ſenſus, & impreſſiones, quales Corpora patiuntur adverſus non ſolum Paganos, ſed & Iſraëlitas, immò aliquos etiam veteres Eccleſiæ Patres hoc errore infectos. IV. Antipatiam inter nidorem aſſati Jecoris illius Piſcis, quem apprehendit, exenteravit, ſervavitque Juvenis Tobias, ac Dæmonem Aſmodæum depellere ipſum e Saræ Cubiculo non potuiſſe: Cum etenim antipatia exprimi videatur corporeis organulis ad repellendum ſejungendumque comparatis, nulla inter Spiritum & Corpus eſſe valet, quorum ille nihil habet organulorum. V. Jecoris ſuper vivos carbones poſiti fumo nullam Divinam virtutem additam fuiſſe, ut cum eſſet craſsus, & corporeus in ſpiritum ageret, ipſumque ad fugam adigeret. VI. Fumus Jecoris piſcis in ſenſibus Tobiæ, & Saræ calentis voluptatis titillationem compeſcens, & quaſi cordulis ligans, atque continentiæ per tres dies, juxta boni Angeli præceptum, ſervandæ plurimum conferens, effecit, ut quietus valeret cum Uxore orationi vacare, & ab illorum veſtigiis, quam longe iret, qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum a ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, *ſicut Equus, & Mulus, quibus non eſt intellectus*: Hanc virtutem compeſcendi libidinis vires ab Omnipotenti, ſapientiſſimoque Creatore certis quibusdam plantis, ſuccinis, & odoribus inditam norunt omnes hiſtoriæ naturalis Scriptores, ac Sulmonenſis de remedio Amoris libro primo cecinit:

Ecce Cibos etiam, Medicinæ fungar ut omni
Munere, quos fugias, quosve ſequare dabo
Daunius an Libycis bulbus tibi miſſus ab oris,
An venias Megaris, noxius omnis erit.
Nec minus erucas aptum eſt vitare ſalaces
Et quidquid Veneri corpora noſtra parat.

VII. Ver-

VII. Verba illa verſus tertii, capituli octavi *Tunc Raphaël Angelus apprehendit Dæmonium, & religavit illum in Deſertum ſuperioris Ægypti*, non eſse intelligenda quomodo rigidus literæ ſonus deſignat, nam litera occideret, ſed accipienda, ac ſi dicerent: *Angelus Raphaël imperante Deo, abſtulit a Dæmonio omnem facultatem nocendi ei, qui accederet ad Saram, indixitque, ne ulla deinceps poteſtate extra Thebaydis deſerta uteretur*. Verùm de hoc ſatis. Tobiam è Tribu Nephtali, ex Urbe Sephet Nephtali, non autem ex Thysbe, ut refertur in ipſius Genealogia verſionis Græcæ, anno Mundi 3283. Per. Jul. 3993. a Salmanaſſare, non verò a Teglatphalaſsare, qui Nephtalitas deportavit anno Mundi 3264. Per. Jul. 3974., in regionem Aſsyriorum abductum, ac centeſimo ſecundo vitæ anno viam univerſæ Carnis ingreſsum eſse affirmamus.

XVIII.

Eliachimus junior Author Libri Judithæ.

DUos Eliachimos maximi Sacerdotis apud Hebræos dignitate ornatos floruiſse fatemur, cum Nierembergio, Huetio, Dupinio, Calmetio, Graveſonio, aliisque inſignis doctrinæ Viris, alium ſub Rege Juda Manaſſe, ſub Xerxe, Perſarum Rege alium: haud aſsentimur tamen Nierembergio, ullique eorum qui antiquioris Eliachimi eſſe volunt ſcriptionem Libri Judithæ, ſed Authori Chronologiæ Philonis nomine inſignitæ, qui lib. 2. de recentiori Eliachimo, hæc enarrat: *Judith geſta conſcripſit, & anniverſariam liberationis memoriam quotannis inſtituit*. Cum etenim Chaldaicis tantum literis, ut putamus, exaratum fuerit hoc volumen, ex quibus ſe illud deprompſiſſe teſtatur D. Hieronymus, & ſermo perſperſus ſit hebraiſmis, in re incerta, ac in tenebris poſita, ſtandum potius pro Eliachimo Xerxis, qui Chaldaicæ linguæ uſum in Babylonica captivitate fortè acquiſivit, quam pro Eliachimo Manaſſes, a quo contemptam propriam Hebraicam linguam nullus prudens judicabit. Quisquis tamen fuerit Author libri hujus, Hiſtoriam nobis dediſſe, non autem poëticum figmentum, aut allegoriam tuemur adverſus Luterum, Vitakerum, Chitræum, Beroaldum, Scaligerum, Reineccium, Grotium, & alios ex Etherodoxis, nihil in eadem contineri aſserentes, quod ipſos in temerarium conſilium non ſuſpicandi ſolum, ſed inſuper decernendi de illius falſitate, impellere deberet, quod ve-

cum

cum exteris, aut ſacris non conveniat hiſtoriis. Verùm, ut id pateat, hæc ponimus. I. Judithæ facinus evenit regnante Manaſse, poſt ſolutam ipſius captivitatem, cumque teſte Joſepho, nullis tunc temporis Regni negotiis ſe immiſceret, quod totus implorandæ de criminibus ſuis veniæ vacaret, nemini admirationem creare debet, ſi altum in hoc bello de ipſo ſilentium. II. Eliachim, qui tot exantlavit labores, ut Judæos accenderet ad obſiſtendum Holoferni Aſsyrii exercitus Principi, cujus nutu omnia gerebantur, gratiaſque venit Judithæ acturus nomine totius Hebrææ gentis, fuit ipſemet Eliachim, juxta nonnullos doctiſſimos Interpretes, de quo Iſaias cap. 22. verſ. 20. 21. & 22. *Vocabo*, inquit, *ſervum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo, & poteſtatem tuam dabo in manu ejus, & erit quaſi pater habitantium in Jeruſalem, & domui Juda; & dabo clavem domus David in manu ejus, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat.* Revera namque, licet in Serie Hebræorum Pontificum non numeretur a Joſepho, quem alias res complures memoria dignas neglexiſse conſtat, Thiara tamen Pontificia gaviſum invictis argumentis eruditè probant Serarius, & Bellarminus. III. Qui appellatur in hoc Judithæ Libro, quaſi comuni Regum Babyloniorum nomine, Nabuchodonoſor; eſt Soaſduchinus Aſſaradonis, ſeu Eſarchaddonis filius, qui imperium Aſsyriorum ſimul, & Babyloniorum poſt patris obitum adminiſtravit, ut in Ptolemæi Can. Reg. Aſs., nimirum ab anno Mundi 3335. Per. Jul. 4045. ad Mund. 3355. Per. Jul. 4065. ita Uſſerius in annalibus ætate M. V. pag. 62. Ludovicus Elias Dupinius in proleg. Sacræ Scripturæ cap. 3. §. 8. pag. 88. Author notarum ad Rationarium Temporum Dionyſii Petavii par. 1. lib 2. cap. 6. pag. 86. not. 5. Auguſtinus Calmetius in proleg. Sacræ Scripturæ par. 1. pag. 282. IV. Dejoces Medorum Rex Arphaxadi nomine ab Authore libri Judith nuncupatus fuit: pro eo ſtant Dionyſius Petavius cit. loco: Huetius Dem. Evan. prop. 4. cap. 14. §. De libro Judith pag. 215. Uſserius ætate M. V. cit. pag. 62., & ſuadet conſtructio, quæ Dejoci ab Herodoto tribuitur Ecbatanorum, ſive ut legit Stephanus Agbatanorum, ſcilicet menium multis coloribus interſtinctorum, è quibus in Urbem tranſiiſſe nomen opinamur: neque enim vel Diodoro credimus, qui Ecbatana jam extaſſe narrat tempore Semiramidis, vel Plinio, qui ſcribit a Seleuco Rege fuiſſe condita, quia ille vetuſtiora facit, hic recentiora. Sed quidquid ſit: in hiſtoriis tralatitium eſt ut Urbes ii dicantur condidiſſe, qui vel auxerunt, vel inſtaurarunt: proinde uni Urbi varios conditores tri-

bui

Digitized by Google

bui haud mirum: tum etiam tempus, quo exitum ejusdem Dejocis recenſet Herodotus, nempe annus 12. Saoſdechini ad regnum aſſumpti. V. Holofernem non fuiſse Aſsyrium, ſed Perſam, mores ipſius non evincunt: non ea etenim extitit inter Perſarum, & Aſsyriorum conſuetudines differentia, ut ex ipſis Perſa ab Aſsyrio diſtingui poſſet, quemadmodum, ſi gentis Aſsyriæ æque, ac Perſæ, hiſtorias Græci homines conſcripſiſseut, facilè noſceremus. VI. Nomen Vagao, ſeu Bagoas ſoli Holofernis Eunucho minime conveniebat, ſed, teſte Huetio in dem. Evan. prop. 4. cap. 14. §. De Authore libri Heſter pag. 219., omnibus Spadonibus primùm, tùm & Aulicis omnibus commune fuit: quamobrem Sulpitius perperam infert Artaxerxem Ochum fuiſse Nabuchodonoſorem, de quo in hac hiſtoria, ab ipſius cæde per manum unius ex regiis Eunuchis, qui Bagoas appellabatur. VII. Achior in Sermone, quem habuit ad Holofernem non eſt intelligendus de præcipuis, ſed de minoris momenti captivitatibus, quas variis temporibus paſſi fuerunt Hebræi, ac præſertim de illa, quando Manaſſes Chalybeis catenis vinctus in Babylonem abductus eſt, cum quo procul omni dubitatione etiam plerique ex ejus Subditis: cum autem enarrat Hebræos commoratos fuiſſe in Ægypto per quadringentos annos, numerum rotundum quadringentorum annorum expreſsiſse dicimus, prætermiſſis fractis, quos ſi exprimere voluiſſet dicere debebat, per 430. annos, qui veluti tradit D. Auguſtinus lib. 5. de Civitate Dei cap. 24. computandi ſunt ab anno 75. Abrahæ quando ad eum facta eſt prima promiſſio, & quæſt. 47. in Exodum, ab illa vocatione, qua vocatus eſt Abraham, & credidit Deo, non ex eo tempore, quo Jacob intravit in Ægyptum: nec ab re ducimus monere cum Henrico Philippi, ex clariſs. Societatis Jeſu Familia, Virorum doctiſſimâ matre æternùm fœcundâ: qui cron. in Gen. cap. 12. Achiorem Gentilem fuiſse, & ſic in ſua narratione facilè errare circa quasdam circumſtantias potuiſſe. VIII. Rubenem, a quo effluxere Judithæ patres, illum nemo dixerit eſse Patriarcham, qui fuit Tribus cognominis Author, cum a dicto Jacobi, ac Liæ primogenito nullum ex filiis legamus Simeonem appellatum. Nec ullus cum iis, qui Tridentinæ Synodi authoritatem non reverentur, & ipſius Oraculo de Vulgatæ authenticitate parere detrectant, præſumpſerit dictum Rubenem è Genealogia Judithæ expungere, Græca Verſione exibente pro Rubene Iſraëlem, ac Seriem Patrum noſtræ illuſtris Fœminæ a Simeone Patriarcharum ſecundo incipiente: ſed hunc Rubenem fuiſſe aliquem inter Hebræos inſignem fortaſſis Virum ex Nepotibus Simeonis potius nobiſcum judicet, ſciatque nihil ſe a veri prola-

laturum ſimilitudine, & ab obſequio Oecumenicis Conciliis debito alienum. IX. Juditha, etiam 45. annos nata, ut illam ponimus, inſigni pulcritudine florere, oculisque ſuis Holofernem jam vetulum capere potuit: quæ nullum namque filium generant ſpecioſiſſimæ fæminæ, licet adultiores, juvenum adhuc retinent formam, oriſque venuſtatem: cui addendum, eamdem ſingulari a Deo ſplendore fuiſse auctam. X. Non ideo falſitate laborat verſus 30. poſtremi capituli libri Judith, ubi hæc leguntur: *In omni ſpatio Vitæ illius non fuit qui perturbaret Iſraël, & poſt mortem ejus annis multis*, quod ipſa vitam produxerit ad annum 105., ac eo temporis ſpatio bellis caruiſſe Iſraël non videatur: quoniam ſi Juditham dicamus poſt Manaſſis captivitatem Holofernis facinus perpetraſse ætatis ſuæ anno 45. Manaſsis vero captivitatem contigiſse anno Regni 22., libertatem anno 3. a captivitate, quam fuiſse brevem ex eo colligit Uſserius, quòd nulla illius ratione habita, 55. nihilominus annis regnaſse aſseratur, numerandi erunt pacis in Iſraël anni 30. Manaſſis, 2. Ammonis, 31. Joſiæ, 11. Joachimi, uſque ad ipſius deportationem, & menſes 3. Joachaz, qui illum præceſſit, è quibus ſimul collectis conflatur ſumma annorum 119., detractis verò 105. vitæ Judith, remanent 14. & menſes 3. poſt ipſius vitam hoſtilibus armis, ſaltem intra regnum Iſraël, minimè perturbati: Ægyptiacum enim bellum, quo Joſias periit, cum extra, non intra Iſraëlis regnum geſtum fuerit, quietem illi haud abrepſiſſe multi cenſent ex Sacris Interpretibus, in quorum nos Sententiam concedimus. XI. Ab Joachimo, ſummo illo Sacerdote, qui accendere Judæos nervis omnibus contendit ad defenſionem oppugnatæ per Holofernem, Bethuliæ lege haud ſancitum, ſed ſolo conſilio propoſitum fuiſse credimus, ut quot annis pro Solemni haberetur Dies victoriæ Judith: de Feſto namque præcepto hæc minime ſcripſiſset Sacer Hiſtoricus, nimirum: *Dies victoriæ hujus colitur a Judeis ex illo tempore uſque ad præſentem diem*: Judith cap. ultimo, quemadmodum nullus ex noſtris dicet, ex. gr., Anniverſaria Dies S. Petri ab eo tempore, quo paſsus eſt, uſque ad præſentem diem celebratur, quia de laudata die colenda decretum extat Eccleſiæ Catholicæ, ſed fortaſſis, & quidem rectè, id referret de anniverſaria die v. g. S. Joannis Gualberti, ab Eccleſia nequaquam præcepta, volens dicta annotatione indicare perſeverantiam amoris Florentinorum erga Conterraneum ſuum tot tantiſque inſignem virtutibus, atque prodigiis: mirum itaque nemini videri debet, ſi deſcriptus in Judaico Chalendario non reperiatur Feſtus hic Dies, cum in eodem locum nunquam habuerint dies feſti per Summi Sacerdotis

tis

tis, aut Synagogæ Magnæ legem minime Statuti. XII. A Deo inditam fuiſse Judithæ totam perpetrandi facinoris rationem pro certo habemus, & virtus, qua Deus fœminæ conſilium adiuvit, reiquæ proſper eventus ſatis demonſtrant: quapropter, nec mendacii ream exiſtimamus, cum Holoferni dixit: *Ego adducam te per mediam Jeruſalem, &c.*, quia revera ſtetit promiſſis, & illuſtrem illum Aſsyriacæ militiæ Præfectum per mediam Jeruſalem duxit, licet non victorem, & triumphantem, ſicuti falsò ipſe ſibi blandiebatur, ſed victum, & capite obtruncatum: nec Holoferni amoribus indulgentiorem ſe præbuiſse arbitramur: haud enim eamdem latebat, illum ſibi adeſse Cuſtodem, qui facit potentiam in brachio ſuo, & diſpergit ſuperbos mente cordis ſui. Verum ſciant fœminæ è miraculis normam agendi non eſse depromendam, ſed a legibus. Vult aliquando Deus infirma Mundi eligere, ut fortia quæque confundat. Num ille redarguendus, aut ii culpandi, quibus utitur? Nec redarguendus ille, neque iſti culpandi, ſed ipſorum geſta in exemplum minimè adducenda.

XIX.

Synagogæ Magnæ Liber Eſtheris tribuendus.

NOn Mardochæus ſolus, ut volunt Clemens Alexandrinus, Lyranus, Dionyſius Carthuſianus, Bellarminus, Fevardentius, Xyſtus Senenſis, Juſtinianus, Rab: Aben-Ezra. Non Mardochæus, & Heſter, ut putant Serarius, & Tirinus: non Eſdras, ut cenſent Epiphanius, Auguſtinus, atque Iſidorus: non junior denique Joachimus Maxim. Hebræor. Pontifex, ut Pſeudo Philo, ſeu Jedideus, ac Reineccius tradunt, Eſtheræ librum exararunt, haud commentitium profecto, & confictum, quemadmodum Anabaptiſtæ, & Luterani nonnulli blaſphemant. Si etenim figmentum, vel tragœdiam, non hiſtoriam complecteretur, ſtatuta ne ab Hebræis fuiſset ad perennem conſervandam memoriam liberationis a cæde, quam illis paraverat atrox Amani Machinatio, ac ferale Aſsueri de ipſis delendis Edictum, quotannis Phurim, ſive ſortium Celebritas, de qua Macch. 2. cap. 15. verſ. 37. & Cod. Theod. L. Judæos, tit. de Judæis? Tamdiu ne obſervata? Minimè: ſed iſti nolunt intelligere, ut bene agant. Authoribus duarum priorum ſententiarum obſtant verſus 20. 29. 32. cap. 9., quibus refert Hiſtoricus

Mar-

Mardochæum ſolum, atque Eſtheram, & Mardochæum dediſſe Epiſtolas ad Hebræos, ut de iis certiores redderent, quæ Suſis evenerant, utque diem, quo evenerant ſolemnem ſancirent impoſterum: unde, ni fallimur, manifeſtè conſequitur, alium ab ipſis fuiſse laudati libri Authorem: Duarum verò poſteriorum patroni fortè Stylum non perpenderunt Eſdræ in libro cognomine, & Joachimi in libro Judithæ, diverſum prorſus a Stylo in deſcribendo Eſtheræ volumine adhibito. Cui ergo tribuenda ſcriptio hujus Hiſtoriæ? Thalmudiſtæ in Baba Bathra cap. 1., ac alii ex Hebræis Magiſtris, quibus & nos aſſentimur cum Petro Daniele Huetio, Ludovico Elia Dupinio, & Ignatio Hiacynto Graveſonio, illum a Magna Synagoga temporibus Eſdræ profectum autumant: Libentiùs verò in hanc ſententiam imus, quia ſuperiores ferè omnes continet: nam Eſthera, & Mardochæus ſuis Epiſtolis materiem huic hiſtoriæ præbuere, & Eſdras Sacri Senatus Præſes, & Joachim, utpote Joſue Pontificis Filius, potuerunt Synagogæ Magnæ intereſse, & ab ipſius Proceribus in mandatis accipere, ut hanc hiſtoriam literis conſecrarent, ob id maximè, ne Feſti Phurim diei origo poſteros lateret, præcipuè cum ipſemet Perſarum Rex Idololatra legem tulerit, ut omnes Provinciarum ſuarum homines, illum perpetuò inter ſolemnes haberent: Ex quo inferri poſse arbitramur licere Principibus Laicis ob aliquod publicum bonum edicere obſervantiam alicujus Feſti, & quamvis ipſorum ſanctiones, non ad Religionem, ſed ad politiam pertineant, nihilotamenminus ligare contemptorum conſcientias gravis peccati vinculis, niſi exprimant, ſe temporales pœnas è transgreſſoribus velle dumtaxat exigere. Aſt hæc de prioribus decem capitibus Libri Eſtheræ. Quid de ſex poſterioribus, quæ ſecundum aliquos in Textu Hebræo deſiderantur? Abſit ut cum Xyſto Senenſi lib. 1. Bibliothecæ Sanctæ ſect. 2. pag. 36. poſt anathema dictum a Sacro-Sancta Synodo Tridentina cuicumque conſcriptos in Canone Libros integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri Vulgatâ Latinâ habentur, pro Sanctis, & Canonicis non ſuſceperint, inter Apocrypha reiiciamus; Freti authoritate Epiſt. Origenis rerum harum conſultiſſimi ad Africanum propugnamus iſta quoque ſex capita Hebraicè fuiſſe conſcripta, haud ſpreta tamen conjectura Præſulis Abrincenſis, nempe ad hunc Librum literis mandandum adjeciſse animum complures ex Patribus Magni Conſiſtorii, atque inde factum, ut diverſa ejus extiterint exemplaria, Hebraicum, quod habemus, atque item alterum paulo locupletiùs, unde Græci deprompſere, & nos a Græcis, lacinias, quas uſurpamus. Ab iis, quæ

quæ ad ſcriptionem ſpectant libri Eſtheræ, ad ea ſtatuenda jam properemus, quæ ipſius hiſtoriam reſpiciunt. Quiſnam Aſſuerus? Quot capita, tot ſententiæ. Matronæ hujus tum formâ, tum honeſtate celeberrimæ diverſi ſeptem Reges, ab Eccleſiaſticis Interpretibus dicti fuere Mariti, & fortè quem nos ex ipſis dicemus, non erit ſuus: Ab aliquibus Darius Mædus, ab aliis Cyrus, a nonnullis Cambyſes, a compluribus Darius Hyſtaſpis, a multis Xerxes, a non paucis Artaxerxes Longimanus, ac tandem Ochus. Veriſimilior nobis videtur illa ſententia, quæ Eſtheram profert Matrimonio junctam cum Hyſtaſpide, quòd omnia in ipſius Eſtheræ Volumine de Aſsuero enarrata in uno dumtaxat Dario Hyſtaſpis convenire videantur, & ab ejus ætate non abhorrere. Cui nam Mædorum, aut Perſarum Regi aptari poſſunt Imperii fines ab India, uſque Æthiopiam, qui ditionem ipſius clauſiſſe dicuntur, præter quam Dario Hyſtaſpidi? Num hic Darius Convivium illud celebre Magnatibus ſuis, ac toti Populo, viris in Atrio Horti Palatii Regii, Fæminis intus in regia Domo cum Uxore Attoſſa Cyri Filia non præparavit, quod cap. 1. hujus hiſtoriæ datum ab Aſſuero ob oculos ponit, Attoſſam nuncupans Vaſthi? Nonne primus extitit noſter Darius, qui victos Indos, & Arabes Monarchiæ ſuæ addidit? Ipſe, ut Aſſuerus, & Suſis moram ducebat, principe Urbe a conſitis liliis, non autem a commoditate alendorum Equorum dicta, atque a Tigri haud remotiſſimè, quemadmodum vult Ptolemæus, ſed unico tantummodò diei itinere diſtante, veluti placet Diodoro apud Samuelem Bochartum Geog. Sacr. par. 2. lib. 2. cap. 15. pag. 833. & 834. & par. 1. lib. 4. cap. 16. pag. 268. ubi, Herodoto teſte, Regiam, Opus elegantiſſimum, mirabili arte conſtruxerat: & cunctas ſibi Maris Inſulas, ut de Aſſuero Sacer Hiſtoricus inquit, fecit tributarias. Nullus namque ex Perſarum Monarchis, ante Regium Hyſtaſpis Filium Inſulas in Mari Ægeo poſitas ſubegiſſe tradit primo hiſtoriarum Libro Thucidides, quas deinde Inſulas a Xerxe Filio ante annum Regni duodecimum conſtat amiſſas, nec alias præter Clazomenas, & Cyprum ſub ſucceſſoris ipſius Darii poteſtate fuiſse demonſtrat Antalcideæ pacis formula apud Xenophontem lib. 5. Helcenicon: quapropter de nullo inter Perſarum Reges poſt Hyſtaſpidem dici potuit, tributa è cunctis Maris Inſulis exegiſſe, quod magno ſane argumento fuerit, non alium præter hunc Darium eſſe habendum Aſſuerum Eſtheræ: & ſubditis denique Provinciis, non ſecus ac Aſſuerus, perſolvi juſſit tributa, cum ſub Cyro, & Cambyſe nihil dum fuiſſet circa tributa ſancitum, ſed munera tantum afferri ſolerent, veluti fidem facit Herodotus lib. 3. cap. 89. ac legi-

gi-

gimus in Epitome Strabonis lib. 15. ubi ſic, *primus Darius Longimanus* (Artaxerxis cognomento Avo Dario per errorem dato) *tributa ferre ſtatuit. Ante illum ex his, quæ regio unaquæque ferebat, ſolvebatur, frumentum, equi, &c.* atque in Pollieno Stratagem. lib. 7. ubi *Darius*, inquit, *primus tributa gentibus impoſuit. Verum ne moleſtè ferrent, non ipſe exegit, ſed Satrapas conſtituere juſſit. Quibus ingentia tributa deſcribentibus, ipſe dimidiam partem ſubditis remiſit, qui libentibus animis dimidium perpenderunt, quaſi magno jam beneficio a Rege affecti*. Sed neque in hoc libro ulla epocha repugnat ætati Darii Hyſtaſpis, præſertim neque anni Mardochæi, neque Neptis Mardochæi Eſtheræ, iſtamque veritatem oſtendent quæ ſequuntur. I. Mardochæus non excedebat annos 90., cum Darius Hyſtaſpis Filius Uxorem duxit Eſtheram: nam ſi ex una parte ponamus Mardochæum quinquennem a Nabuchodonoſore in captivitatem cum Jechonia Rege abductum, cum ex alia parte a deportatione ipſius Jechoniæ, quæ juxta Calculum Uſſerianum evenit anno Mundi 3405. ad ſolutam Babylonicam Captivitatem, quæ juxta eumdem Calculum accidit anno Mundi 3468., effluxerint anni 63. non autem 70. ut falsò opinatur eruditiſſimus alioqui Graveſonius, qui in tractatu de Scripturâ Sacrâ par. 2. §. 3. pag. 224. exhibens ætatem Mardochæi recenſet annos 70. captivitatis, & anni 7. interceſſerint a ſuſcepta per Cyrum Orientis Monarchia, ad ejus obitum, ac anni 7. alii numerari debeant Regni Cambyſis, cum menſibus 5. & Smerdis Magi menſes 7. atque tandem anni 7. ab exordio Regni Hyſtaſpidis, ad celebratum ab ipſo cum Eſthera Matrimonium, qui a laudato Graveſonio in ſua numeratione omittuntur, ex iſtis annis ſimul collectis conflatur ſumma annorum 90. II. Eſther cum ab Ægeo Eunucho ducta eſt ad cubiculum Regis Aſſueri menſe 10. qui vocatur Tebet, & eſt noſter December, ſeptimo anno Regni ſui, eamque adamavit pluſquam omnes Mulieres, ac poſuit Diadema Regni in capite ejus, fecitque eam regnare in loco Vaſthi, potuit ætatem non ſuperare 20. annorum, ſive Pater ejus Abigail junior, ſive ſenior fuerit Mardochæo; a ſeptuagenario etenim Patre procreatam ſi quis dixerit, novi nihil dixerit, cum noſtris hiſce temporibus exempla non deſint filiorum, qui etiam ab octuagenariis propè vitam amiſſuris, vitam acceperint. Verùm, ſi cui placeat aliâ uti ratione, qua Mardochæus oſtendatur aptus negotiis Regni gerendis tempore Darii Hyſtaſpis, illum minimè a veritatis ſemita aberrare, & merum effugium quærere, falſique palam convinci poſſe cenſemus, ſi aſſeruerit cap. 2. & 11. hujus Libri dici Mardochæum raptum in captivita-

vitatem, non quòd jam natus eſſet, ſed quòd prodierit ex illis familiis, quæ tempore Jechoniæ in captivitatem fuerunt translatæ. Illam ſanè perſtringere non debebat Graveſonius, qui, ut liberet ab errore Divum Stephanum cap. 7. verſ. 14. narrantem in Hebræorum Concilio *Joſephum Ægypti Proregem, urgente fame accerſiviſſe Jacobum Patrem ſuum, & omnem Cognationem ſuam in Animabus ſeptuaginta quinque*, cum tamen Divinus Moyſes cap. 46. Geneſeos verſ. 26. ſcripſerit: *Cunctæ animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum & egreſſæ ſunt de femore illius, abſque Uxoribus Filiorum ejus ſexaginta ſex*, & deinde verſ. 27. *Filii Joſephi, qui nati ſunt in terra Ægypti, Animæ duæ*, conciliandum Sacrum utrumque Authorem reſpondet dicendo, S. Lucam, imo D. Stephanum ſecutum fuiſſe Verſionem ſeptuaginta Interpretum, in qua inter Animas, quæ ingreſsæ ſunt in Ægyptum, numerantur Joſephi Nepotes, ſeu quinque Filii Manaſſes, ſcilicet Machir, Galaad, Sutalaam, Taam, & Edem, quos Joſephi Nepotes prætermiſit Moyſes in Textu Hebræo: nec opponi debere hos quinque Joſephi Nepotes non potuiſse per anticipationem ab Evangel. Luca, nimirum a Divo Stephano, numerari, nec verè dici ingreſſos eſſe in Ægyptum, cum ibi nati ſint: Illud inquam opponi non debere, quia etiam Moyſes in Textu Hebræo numerat inter Animas in Ægyptum ingreſſas Ephraim, & Manaſſem, qui tamen nati ſunt in Ægypto. Si etenim dici potuere ingreſſi in Ægyptum Filii Joſephi, & Manaſſe, qui nati in Ægypto, cur non raptus in Babylonicum Regnum Mardochæus, qui in Babylonico Regno natus? Sed ad alia. I. Vaſthi Regina optimis legibus Regionis ſuæ innixa, quæ fæminis non convivia tantum, ſed Virorum conſpectum prohibebant, Juſtin. lib. 41. non modo non peccavit haud parendo Regi, & Marito Aſſuero, qui vino aliquantulum incaleſcens illam per Eunuchos ſuos evocaverat ad ſolemne convivium, ut accumbentibus Principibus Viris, fortè nudatam, & Diademate redimitam, ut putat Chaldæus Interpres, oſtentaret, probaretque omnium Mulierum in ditione ſua eſſe ſpecioſiſſimam, veluti tradit Joſephus: ſed modeſtiam, pudicitiamque regiâ gratiâ regnoque præferens immortalem ſibi gloriam adepta eſt. Mirum! Fæmina videre renuit, & videri? II. A ſcelere læſæ graviter charitatis liberare non auderemus Eſtheram ad regalem dignitatem a Deo evectam, gratiâque apud Aſſuerum pollentem, ſi vita periclitantibus, cunctis popularibus ſuis, ingreſsa ad ipſum, ut ſuadebat Mardochæus, inſidias Amani eidem non aperuiſſet, & pro illorum ſalute minimè fuiſſet deprecata. Paria ſentimus de omnibus, qui præ aliis ſunt apud Principes. Sin autem ſint eisdem a conſiliis, juſtitiam inſuper

læ-

læṭali vulnere ſauciant, cum noſcunt, & tamen non retegunt, machinamenta, quibus pravi nonnulli homines contendunt Viros probos, ac inopes præſertim exterminare. Audiant, & contremiſcant. Hæc Mardochæus Eſtheræ: *Ne putes quod animam tuam tantum liberes, quia in Domo Regis ex præ cunctis Judæis. Si enim nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Judæi, & tu, & Domus patris tui peribitis: Et quis novit utrum idcircò ad regnum veneris, ut in tali tempore parareris*. III. Legem tulerat Aſſuerus ne quis non vocatus intraret interius in Atrium Regis; ſin autem intraſſet abſque ulla cunctatione ſtatim interficeretur. Ingreſſa ſuaſione Mardochæi Eſthera, ut pro ſalute gentis ſuæ deprecaretur, eumdemque conſpiciens ardentibus oculis furorem pectoris indicare, corruit, & in pallorem colore mutato, lapſum ſuper Ancillulam reclinavit Caput. Tum Rex feſtinus, ac metuens exilivit de ſolio, & ſuſtentans eam ulnis ſuis, donec rediret ad ſe, ait: *Non morieris; Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt*. Quam bellè iſtis poſterioribus verbis exprimitur divinum Decretum ſpiritualis mortis contra univerſum genus humanum, cum exceptione illius tantummodò Fæminæ, e qua Æternus Filius Dei Deus, illud redempturus carnem ſuſcipere jam decreverat! Fuiſſe igitur Beatiſſimam Virginem Mariam abſque Originalis peccati labe conceptam tenemus, & ſanguinis etiam effuſione defendere parati ſumus.

XX.

Author Libri Job Moyſes.

Quid non mortalia pectora cogit libido oppugnandi veritatem? Niſi de patientiſſimo Jobo nobis foret agendum, accenderemur procul dubio adverſus Thalmudiſtas in Baba Bathra cap. 1. RR. Maimmonidem, & Schem-Tob, Anabaptiſtas, Salmaſium in familiari colloquio apud Fridericum Spanhemium Hiſt. Job., Mercerum in Exod. cap. 5. aliosque ejusdem furfuris Homines, qui de hiſtoriæ Jobi veritate ambigentes, omnia putant, quæ in ea continentur, ad Parabolas, & Allegorias eſſe detorquenda, atque Jobum, Eliphazum, Ælium, ceteroſque Jobi amicos ementita eſſe nomina,

non ſecus ac mixta inter illos colloquia. Sed ab Heroe patientiæ patientiam diſcentes, tantum eorum ſententiam non recipimus, quia, ut inquit Vir quidam eruditionis laude clariſſimus, veritatis habet parum, periculi plurimum, rationum verò, quibus probetur, nihil omninò. Num commentariis illuſtraſſent hunc Librum tot Patres ſanctitate, doctrinâ, atque dignitate præcellentes? Sed Interpretes habet hoc opus Pontifices maximos, Sanctiſſimos Præſules, ac eximios Doctores, imò & celebres Hebræos, inter quos RR. Aben-Ezram, Salomonem Jarhi, & melius, Iſaaki, Levi Ben Gerſonem, & Joſephum Ben Ichaiah, & inter Hæreticos, ut vocant, Proteſtantes, laudatum Fridericum Spanhemium, qui ejus vitam eruditiſſimo Volumine complexus eſt. Non tamen contemnimus opinationem Grotii Proleg. in Job, citati Spanhemii Hiſt. Jobi cap. 1. pag. 17. Dupinii in Proleg. Sacræ Scripturæ lib. 1. cap. 3. pag. 95. & R. Manaſſes Ben-Iſraël, qui fatentur quidem, Jobum in Vivis egiſse, ejusque hiſtoriam eſſe genuinam: an vero colloquia inter Jobum ejusque Amicos ingenio Authoris deputanda ſint, ambigunt: a veri namque ſimilitudine longè Critici iſti abire, dummodo hoſce fines non prætergrediantur, ſive aliquid aſſerere, quod Chriſtianam Fidem ullatenus lædat, non videntur. Sed quod verè ſentimus, ſemperque propugnaturi ſumus, eſt, omnia quæ in hoc Libro continentur, non ſecus ac illa, quæ habentur in Geneſi, revelantę Deo, fuiſſe literis mandata per Sacrum Hiſtoricum, ad quem pertinere dumtaxat credimus Dialogi diſpoſitionem, atque diſtinctionem, figuras, ac reliquum Sermonis ornatum, quia in Divinis Voluminibus ficta nonnulla, & adſcititia colloquia reperiri eorum infallibili authoritati, ſummæque dignitati minimè poteſt convenire: hac autem in re definienda præluxit nobis perdoctus Sacræ Scripturæ Interpres Auguſtinus Calmetius Proleg. in Lib. Job.. Opus iſtud perutile, atque Sanctiſſimum, varii, variis vindicant Scriptoribus. Origenes, Gregorius Magnus, & Suidas ipſimet Jobo, aut alicui ex ejus Amicis, permoti illis Jobi verbis cap. 19. verſ. 23. & 24., & cap. 31. verſ. 35. & 36. *Quis mihi tribuat, ut ſcribantur, &c.* Lictfootus Elivo, arctiſſimæ cognationis vinculo cum Jobo conjuncto (ſi uterque a Nacore, quod non credimus). Aſt nunquid in ipſo conſcribendo uſi ſunt Jeroglyphicis? Vix credi poteſt. Characteres alphabetarios nondum fuiſſe inventos, ſed poſt id temporis a Moyſe traditos benemulti affirmant, quibus & nos aſſentimur. Audiatur Polydorus Virgilius de Rerum Inventoribus lib. 1. cap. 6. pag. 38. *Verùm Eupolemus*, inquit, *ut Euſebius opinatur, procul dubio, veram literarum originem reddit, affirmans Mo-*

Moſem, qui teſte eodem Euſebio de Temporibus, & in decimo de Præp. Evang. longè ante Cadmum fuit, literas Judæis primum tradidiſſe, & a Judæis Phœnices accepiſſe. Græcos vero poſtremos a Phœnicibus. Idem etiam Euſebius lib. 8. *&* 10. *pulcherrimè probat: cui opinioni congruit illud, quod ex Plinio ante retulimus, apud Syros literas repertas eſſe, quando Syri ipſi quoque, teſte Euſebio, Hebræi ſunt*. D. Gregorius Nazianzenus, & Luterus Salomoni: multa enim libri hujus cum libris Salomonicis, Proverbiorum, & Eccleſiaſte, Sententiarum, Phraſium, & Vocum videtur eſſe conſenſio. Verùm cur non ab hoc opere potius exoticas ſuas locutiones, & Phraſes, atque Sententias deprompſiſſe Salomonem judicamus? Quis deinde miretur easdem ſententias a diverſis hominibus, præſertim ab eodem Numine afflatis, uſurpari? Philippus Codurcus alicui Prophetæ Idumæo, vel Iſaiæ: ſed ut verbis utamur Clariſſimi Præſulis Abrincenſis, hic Author ſententiæ ſuæ cauſsas habet partim acutas quidem, futiles tamen, & leves, partim vanas penitùs, & inanes. Ubi nam, v. g. Idumæorum captivitas Babylonica poſtremis Nabuchodonoſoris annis? Nullum profectò extat in Scripturis Sacris ejusdem veſtigium. Sed clamat D. Gregorius magnus: *Valde ſupervacuè quæritur, cum Author Libri Spiritus Sanctus fideliter creditur*: nihilòtamenminus cum Beatiſſimus Pontifex hæc monuerit, ubi tractationem habere de formandis moribus inſtituerat, nos qui ad illuſtrandos tantum Sacros Codices, & quæ ad ipſos pertinent, incumbimus, a ſententià noſtra dicenda non retrahemur. Putamus itaque Hiſtoriam Jobi exaratam a Moyſe, ut laſſos in peregrinatione, poſt Ægyptiacam ſervitutem, conſolaretur Judæos ad miranda tanti Viri patientia, & quos ſequeremur habuimus præcedentes Doctores, Authorem nimirùm poſterioris Commentarii in Jobum ſub Origenis nomine latentem, Metodium apud Photium Codice 235., Iſidorum lib. 1. Officiorum, Abulenſem initio Geneſis ſuper Prologum S. Hieronymi, Beuterum annot. 6., Eugubinum in præfat., Bellarminum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Nierembergium de Orig. Sacræ Scripturæ lib. 2. cap. 18., Huetium in Demonſtratione Evang. prop. 4. cap. 14. §. De Libro Job ac alios. Nec ſoli Doctores authoritate ſuâ, ſed quædam non levis momenti indicia in hanc ſententiam nos impulere, quibus ſi uſus fuiſset Bellarminus, eum petitionis principii redarguere non auderet ejusdem ſocius Euſebius Nierembergius in laudat. tract. pag. 54. Non ne character Orationis illum eſſe Moyſis non obſcure indicat? Si proſa cum proſa, verſum cum verſu conferamus, quam maxima ſtatim apparet conſenſio ab hac ſaltem Styli ſimilitudine ductos

 non-

Digitized by Google

nonnullos conieciſſe Librum iſtum a Moſe profectum refert Olympiodorus. Aſt ſi Moyſes Author Libri Job, cur Pentateuchus puriſſimè fluit, in illo autem tanta Chaldaicarum, Syriacarum, & Arabicarum vocum colluvies? Cur ſimplex in Pentateuchi Libris, & omni ornatu carens narratio, floridus hic crebrioribuſque diſtinctus luminibus ſermo? Diximus comparandam eſſe ſolutam orationem cum ſoluta, ſtrictam cum ſtricta, non autem ſtrictam cum ſoluta, quod ſi quis incautè neglexerit, uti par eſt efficere, apparebit procul dubio ſtyli diſſenſio. In Jobo Poëtam agit Divinus Scriptor. Quid? Poëtæ uſurpare affines dialectos non licet? Sed Sacrum Vatem immitati ſunt Homerus, noſter Dantes Aldigherius, ac alii benemulti. In Pentateucho egit Ephemeridum Scriptorem: grandius ne aliquid in hoc ſcriptionis genere convenit? Legatur Canticum, quod in Exodi Libro continetur: Nullus, ni fallimur, in illo inficiabitur pro rei gravitate, ad ſublime, & magnificum dicendi genus ſplendidè Moyſem non aſſurgere. Ad graviora. Undecim poſteriora Capita Libri Job haud eſſe, veluti nonnullis placet apud Rabbinum Ben-Gerſonium in Commentariis ſuper Job, rejicienda propugnamus: verba namque illa poſita poſt cap. 31. *Thammu Diure Job*, hoc eſt *finita ſunt verba Job*, quæ ipſis anſam præbuerunt ea non recipiendi, referri non debent ad finem omnium omninò ſermonum Jobi, ſed ad finem dumtaxat diſputationum, quas Job cum tribus amicis Eliphazo, Baldado, & Sophare habuerat, quibus illicò ſucceſſere colloquia cum Eliu amicorum quarto. Non poſſumus tamen, ſicuti pro dictis 11. Capitibus, ita ſtare pro oratione Uxoris Jobi, ipſius Genealogia, aliiſque laciniis, quæ Jobi libro acuſæ ſunt: ſed ex ipſis Genealogiam a Theodotione, & ab Arabe Interprete in ſuam verſionem receptam, ab Origene, Chryſoſtomo, Athanaſio, Euſebio, Ambroſio, Auguſtino, Proſpero aliiſque magni nominis Patribus, atque Doctoribus illuſtratam, & a maximo, ac immortalis memoriæ Principe Xyſto, inter Romanos Pontifices V. probatam, aſſentientes celebri Jacobo Bonfrerio veneramur, cum per ipſam regali dignitate Heroëm noſtrum in Idumæa claruiſſe noſcamus: Et ideò non leviter ineptiſſe opinamur illos ex Hebræis, qui effutierunt eumdem ſimul cum Jetro Moſis Socero a conſiliis fuiſſe Pharaonis: Nec fidem mereri credimus Philonem, dum a Jobo tradit Dinam Jacobi Filiam matrimonio ſibi copulatam: Nefas in Regium Thalamum a Nobiliſſimo Principe recipi Fæminam, reluctantem licet, raptam tamen, & ab alio corruptam! De Jobo quis cogitet? In animum certe noſtrum id nunquam inducemus; ſicuti ſuadere nobis non poſſumus ſeptingentos, aut octingen-

gen-

Digitized by Google

gentos fermè verſus deſiderari in ejuſdem Jobi Volumine, quemadmodum habent Commentaria D. Hieronymi in Jobum, in quæ fortè Typographorum indiligentiâ mendum intruſit, cum legi deberent ſeptuaginta, aut octuaginta verſus. Si etenim ita decurtatum inveniſſet Origenes, qui eumdem Jobum, ante D. Hieronymum interterpretatus eſt, monere non omiſiſſet Lectores ſuos. Sanctiſſimi hujus Viri Hiſtoriam cum Uſſerio in Chronologiâ Sacrâ cap. 11. pag. 59. & 60. contigiſſe probabile cenſemus poſt mortem Joſephi, anno Mundi 2369. Per. Jul. 3079. tempore, quo in Ægypto peregrinabantur Iſraëlitæ: quia ex una parte Job, & Eliphaz Themanites erant æquales, vel ſaltem unus haud multis annis alterum ſuperabat, ut conſtat ex Sacro Textu: ex alia verò Eſau, & Jacob erant gemelli, & ideò ejuſdem ætatis. Cum Jacob itaque, quando ingreſſus eſt cum Familia in Ægyptum, eſſet annorum 130., annorum pariter 130. fuerit oportet Eſau, ſed Eſau jam quadragenarius duxit Uxorem Baſmathamam, ſive Adamam Filiam Elonis Itthei: Ergo ab ipſius nuptiis ad ingreſſum Jacobi cum gente ſuâ in Ægyptum, ſoli effluxere anni 90.: Aſt ab Eſau, & Baſmathama natus eſt Eliphaz ſenior, ab iſto Eliphaze Themanes; a Themane Eliphaz junior, æqualis Jobo, ipſiuſque amicus. Si demus igitur 45. Eliphazo ſeniori ante procreatum Themanem, & Themani annos 45. ante genitum Eliphazum juniorem, nativitas hujus Eliphazi cadit in annum ingreſſus Jacobi cum Filiis ſuis in Ægyptum: Et quia annis 71. diſtat dictus ingreſſus Jacobi anno Mundi 2298., Per. Jul. 3008. ab obitu Joſephi anno Mundi 2369., Per. Jul. 3079., ideò annorum 71. vel circiter dicendus Eliphaz, ac etiam Job ipſi æqualis, cum mortuus eſt Joſeph; quos annos eum egreſſum non fuiſſe, quando paſſus eſt, teſtatur D. Athanaſius apud Xyſtum Senenſem Bibliot. Sanctæ lib. 1. pag. 23. & 24. Jam verò ex ipſius in colluctatione ſermonibus Dogma aliquod Theologicum depromamus. I. Illis Jobi verbis cap. 19. verſ. 25. & 26. *Scio enim quod Redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum, & rurſum circumdabor pelle mea, &c.* jugulantur Saducæi, & Samaritani, qui olim inter Judæos: Simoniani, Saturniani, Baſidilidiani, Valentiniani, & Marcionitæ, qui inter Chriſtianos primorum Eccleſiæ temporum, evertere conati fuerunt Fidei noſtræ Baſim, Carnis ſcilicet Reſurrectionem. Hoc itaque Myſterium, quod ex certa Chriſti Domini Reſurrectione efficaciſſimè aſtruit D. Paulus primæ ad Corinthios cap. 15., & ſine quo inanis, & vana eſt Fides noſtra, haud negari poſſe, niſi ab hominibus, qui ſpem non habent, & ita vivunt, ut non timeant, ne poſt mortem faciat eos

Deus

Deus in opprobrium ſempiternum evigilare, aſſeveramus, atque Corporis interitum contemnentes, læti dicimus: *Ubi eſt Mors victoria tua?* II. Job qui miſerorum mortalium animos primus ſpe certæ reſurrectionis futuræ allevavit, primus etiam, ut cum Pineda in Job cap. 19. verſ. 25. conjicimus, quando a mortuis, exurgente Chriſto Domino, *multa Corpora Sanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt* Matt. 27. beneficio reſurrectionis gaviſus eſt, ſed tum ipſos, tum ceteros Sanctos cum Jeſu Chriſto ad Vitam revocatos, novâ iterum morte occubuiſſe defendimus: ſolus etenim Jeſus, ut inquit D. Ambroſius, tunc reſurrectione perpetua reſurrexit, voluitque Deus provvidentiæ ſuæ conſilio, ut illi perfectam operum ſuorum retributionem ante nos nequaquam reciperent, ſed in Sanctam dumtaxat Urbem ſpectandi pluribus venirent, ac reſurrectionem ſuam teſtarentur. Legatur D. Auguſtini Epiſt. 164. ad Evodium num. 7. 8. & 9., ubi poſt librata hujus noſtræ ſententiæ, & contrariæ momenta, ſtatuit tandem minus ſibi perſuaderi Juſtos ad vitam revocatos cum Jeſu Chriſto, ſive eodem, quo ille tempore, ſive poſt illum, ad immortalem revocatos fuiſſe. Sequitur Auguſtinum D. Thomas 3. part. quæſt. 53. art. 3., quo loco mentem ſuam hac de re aperiens aſſerit eosdem rurſum vitam deſeruiſſe. Innititur quod nos ſentimus teſtimoniis Patrum, Chryſoſtomi Homil. 40. in prim. ad Cor. cap. 15. pag. 690., Theodoret. in Heb. 11. pag. 452., Ambroſ. in Luc. cap. 8. Theophylacti in Matt. 27. pag. 178. &c. III. Quod aſſeveraverit Job. verſ. 25. laud. cap. 19., *ſe in carne ſuâ viſurum Deum ſuum, oculiſque ſuis conſpecturum*, non evincit oculos carneos attolli poſſe lumine Gloriæ ad Deum conſpiciendum: Non poteſt enim eſſe ens ſummè ſpirituale obiectum, ut inquiunt, ullius corporei Organi. Quid abſurdius, quam hoc, ſi poſſibile foret? Etiam Bruta, & nonnulla quidem perfectius, quam homines, quod iſtis acriori oculorum acie ſint inſtructa, poſſent eadem vi erigi ad potiendum Divina viſione. Sed eſt intelligendus Vir Sanctiſſimus de ſpe videndæ in carne ſuâ, ſuiſquemet oculis clariſſimæ illius immortaliſque, poſt reſurrectionem, humanitatis, quam afflante Numine prænoſcebat a Deo hominem redempturo poſt annos circiter 1639. aſſumendam. Nec abhorrent ab hac explanatione illa verba: *Scio quod Redemptor meus, &c.* verſ. 25. laud. cap. 19. IV. Reſurrecturum unumquemque in ſexu ſuo, ſive virili, ſive fæmineo ſuſtinemus adverſus Origenem, & doctrinæ illius præcipuum cultorem Joannem Epiſcopum Jeroſolymitanum. Quibus opponimus verba S. Viri Jobi cap. 19. verſ. 25. 26. & 27., & illa præcipuè, *rurſus circumda-*

bor

Digitized by Google

bor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum, quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt, & non alius. Si etenim qui ad vitam revocandus eſt, ipſe & non alius revocandus eſt: Ergo maſculus, ſi maſculus obierit, & femina, ſi femina: aſt ſi femina in ſexu virili ad vitam revocaretur, eſſet ne ipſa, & non alia? Minimè, reſpondent Irenæus, qui floruit anno Æræ Chriſtianæ 180., lib. 5. adverſus Hæreſes, Tertullianus, qui primordia tertii ſeculi decoravit, Aurelius Prudentius Catholicus Poëta elegantiſſimus labentis Chriſtiani ſeculi quarti, D. Ambroſius cujus pretioſa Mors idem ſeculum quartum prope clauſit, tract. in Symbolum Apoſtolicum, Hieronymus qui annos 20. ſeculi quinti doctrinâ ſuâ ornavit in Matt. cap. 22. verſ. 30., S. Julianus, qui Toletanæ Eccleſiæ præfuit anno redempti Orbis 680., Venerabilis Beda, qui floruit anno 730., Nicolaus de Lyra, qui mortuus fertur 1349., Alphonſus Toſtatus, qui anno 1440. in Cœlum, ut piè creditur, receptus eſt, Dionyſius propter ordinem Carthuſiæ, in quo ab anno 1432. ad 1471. Sanctiſſimè vixit, dictus Carthuſianus, ac alii non pauci numero, neque doctrinâ contemnendi.

XXI.

Poëſis, & Muſica Hebræorum, atque Pſalmorum Authores.

DE Pſalmis acturi, aliqua de Hebræorum Poëſi ipſorumque Muſica, & Muſicis Inſtrumentis ſtatuamus oportet: Quamvis autem nonnulli eruditione ornatiſſimi Scriptores contendant apud Hebræos Poëſim quidem obtinuiſſe, ſed nullis artis Regulis ſervientem: nihilotamenminus a ſententia divelli adhuc non poſſumus Joſephi lib. Antiq. 7. cap. 10., Didymi in Pſalm. 128., Euſebii Præp. Evang. lib. 2. cap. 3. & lib. 7. cap. 12., D. Hieronymi Epiſt. ad Paulin., Ferrandi Præfat. in Pſalm., Caſſiodori in Pſalm. 135., qui volunt Poëſim apud eosdem metricis legibus adſtrictam floruiſse, quamquam, ut ait Stridionenſis Doctor in Job, propter linguæ Idioma illorum carmina crebro recipiant pedes non iisdem ſyllabis conſtantes, nec eodem ordine & ſitu ſedentes, quales habent Græca, & Latina, ſed iisdem numeris: Sin autem modo cognoſci, haud quaquam poteſt, quonam metri genere ea digeſſerint Hebræi Vates, in cauſ-

ſa eſt diverſus hiſce temporibus verborum ſonus, & pronunciatio non eadem, ac olim: licet enim haud prorſus aſſentiamur commentationibus Scrieckii, aſſerentis tribuendas varietati lectionis, & pronunciationis hodiernæ a priſca, per vocalia puncta in Hebraicum Scripturæ Textum intruſæ tenebras, in quibus verſamur poëticæ artis Hebræorum: ut putamus tamen, ſi veterem pronunciationem, & linguæ ſanctæ puritatem retineremus, quemadmodum D. Hieronymo ſtructura omnis Hebraici verſus comperta fuit, ita & nos non lateret, præſertim Rythmorum, qui facilius dignoſcuntur, ut illi quos cap. 25. concinit Iſaias in laudem Euchariſtiæ:

Miſchte Schemanim, *Miſchte Schemarim*
Schemianim Memuchaym, *Schemarim Mezukkakim*.
Hoc eſt, Convivium pingue, convivium vindemiæ
Pinguium medullatorum, vindemiæ defœcatæ.

nec eſſet, quod ad invenienda diverſa carminum genera, in illis ſaltem Codicibus Sacris, de quibus D. Gregorius Nazianzenus ſic canit:

Quinque Metris conſtat Job, *David*, *tres Salomonis*
Concio, *&* *Inſignes Cantus*, *Proverbia ſacra*,

totos illos turbaremus, mirèque diſtorqueremus, veluti audaciùs, ac temerè factum legimus a Meibomio in novâ, quam adornavit, ſivè melius, conſpurcavit, Librorum Sacrorum Verſione, & a Franciſco Gamaro in Davidis Lyra. Habuit itaque gens Hebræa Poëſim diverſis carminibus contextam, quorum Canones & menſuras ſi quis cupiat ediſcere, ut vel primoribus labiis ipſam in divinis Voluminibus guſtare valeat, inter alios legat Rabb. Scelemo, cognomento Gabriol, eximium apud ſuos Vatem, & Rabbi Joſephi Hyſſopei, Poëma, quod Scutella argentea inſcribitur, iambico carmine elucubratum. Verum ad hanc Hebræorum laudem accedere cenſemus, quod eos S. Iſidorus facit Poëſeos Authores: poſt attributum enim Moyſi Heroici Carminis inventum, ſubdit *Hymnos primum David in laudem Dei conpoſuiſſe, ac ceciniſſe manifeſtum eſt, deinde apud Gentiles prima Memmia Timotoe fecit in Apollinem, & Muſas, quæ fuit temporibus Ennii, longè poſt David. Hymni autem ex Græco in Latinum laudes interpretantur. Epithalamia ſunt Carmina Nubentium, quæ decantantur a Scholaſticis in honorem Sponſi, & Sponſæ. Hæc primùm Salomon edidit in lau-*

laudem Eccleſiæ, & Chriſti: ex quo Gentiles ſibi Epithalamium vindicarunt, quod genus primùm à Gentilibus in ſcenis celebrabatur, poſtea tantum in Nuptiis hæſit: Vocatur autem Epithalamium, eo quòd ſuper Thalamum decantetur. Threnos, quod latinè lamentum vocamus, primus Jeremias verſus compoſuit ſuper Urbem Jeruſalem, & Populum, quando captivus ductus eſt. Poſt hunc apud Græcos Symonides Poëta Lyricus. Adhibebantur autem funeribus, atque lamentis, &c. Aſt cur Sacri Interpretes in transferendis Divinis literis, Hebraicorum Carminum leges minimè ſervarunt? Pro certo habemus hujus rei cauſsam fuiſſe, quam D. Auguſtinus in Epiſt. ad Memorium Epiſcopum adducit: Noluiſse nimirùm Interpretes ex Hebræa Lingua numeros exprimere, ne metri neceſſitate ab interpretandi veritate, amplius quam ratio ſententiarum ſinebat, digredi cogerentur. Hæc omnia de Poëſi Hebræorum, non ut eruditionem oſtentemus, protulimus, ſed ut retundamus Julianum Apoſtatam, & Anabaptiſtas, qui Sacris Codicibus corruptionis notam inurunt, quòd olim numeros adſtricta Oratione exaratos plerique ex Patribus tradiderint, nunc autem, ut putant, in ipſis ne veſtigium quidem ullum, ſive Heroici, ſive Lyrici Carminis appareat. Nunc ab Hebræorum Poëſi ad illorum Muſicam. Profectò ſi elegantia Muſicæ Hebræorum reſpondebat maieſtati, & decoris imaginibus, ac verbis affectum animi exprimentibus carminum Hebraicorum, jure meritoque affirmare poſſumus nihil eâdem grandius, nihil gravius, & auguſtius, nihil etiam dulciùs, atque ſuavius auditum fuiſſe: Cum idem namque vocibus omnibus, & Inſtrumentis eſset tonus, & tenor, proportio ſervabatur inter verba, & cantum, viſque illorum, quæ noſtrâ ætate in Muſica, non ſolum animo comprehendi non valent, aſt neque auribus percipi, minimè peribat, ſed audientium corda, ſive ad veri Numinis Cultum, veritatiſque amorem, ſive ad Idolorum ſpretum, ſcelerumque odium incredibiliter rapiebat. Hanc animorum Dominatricem primùm anno Mundi 2611. Per. Jul. 3021. a Davide ſtrenuiſſimo Duce, & exquiſitiſſimo Cantore in Tabernaculum Domini invectam decernimus, ſelectis ex Levitarum genere 400. Pſaltibus in vicenas quaternas æquales claſſes diſtinctis juxta numerum Filiorum Aſaph, Heman, Idithum, trium Muſicæ rei Præfectorum, qui Tunicis Biſſinis induti in Organis Domino canerent. Neque ideò, quia in Templum Viros ad religioſas conflandas Simphonias admiſsos diximus, Mulieres ab eodem munere, vel penitus cum Rabbinis prohibitas fuiſse volumus, vel cum Sanctio, atque Cornelio a Lapide non niſi extraordinariis quibusdam occaſionibus adhi-

adhibitas: ſed in magnis per annum ſolemnitatibus, ſummâ tamen cautione, & ab aliis Muſicis diſcretas ſub Præfectis, Hebræo nomine Mnazeach nuncupatis, Cantatrices, & Tympaniſtrias, plerumque Levitarum Filias, vel conſanguineas, Sacros Coros impleſſe affirmamus: Si etenim Feminæ coram Domino canendi munus non præſtabant, cur Paralip. 1. cap. 25. verſ. 5. inter Filios Aſaph, & Heman, & Idithum, quos David, & Magiſtratus Exercitus ſegregaverunt, ut prophetarent, ſcilicet canerent in Cytharis, & Pſalteriis, & Cymbalis, recenſentur etiam tres Filiæ Heman? Quomodo Eſdræ primo, cap. 2. verſ. 5. in ſerie Reducum è ſoluta Captivitate Babylonica anno Mundi 3468. Per. Jul. 4178., Duce Zorobabele, ducenti numerantur Cantores, & Cantatrices? Nicolaus de Lyra in annotationibus ad hunc locum, non ob aliam rationem putat, niſi quia Cantatricibus etiam ſuus eſſet locus in Templo, eisdem a Salomone aſſignatus, ut diſertè tradit Paraphraſtes Chaldæus Eccl. cap. 2. verſ. 8., ipſisque, ex quibus ſeptima Muſicorum Claſſis conſtabat, preærant, Teſte Grotio in primo Paralip. cap. 15. verſ. 20., Zacharias, & Oziel, & Semiramoth, & ante, vel poſt ipſos, præfuit quidam Banaias, ſi fides inſcriptioni Pſalm. 9. hiſce verbis conceptæ, *Banaiæ Præfecto Muſices in Choro Puellarum*. Sed quibus Muſicis inſtrumentis Hebræorum Cantores, & Cantatrices Hymnos Domino præcinebant? Triginta, & quatuor reſpondent plerique ex Rabbinis, & Sacris Interpretibus, ſed nos vix decem, & ſeptem: nam cum eruditiſſimo Calmetio uno ductu de laudato numero ſubducimus primò 14., videlicet Neghinot, Hannechiloth, Aſcheminith, Siggaion, Gitith, Almoth, Mictham, Aieleth-Haſchachar, Schoſchanim, Machalat, Jonath-Elem Recokim, Higgaion, Maſchechil, Al-Taſchchet. Quæ verba non Muſicum aliquod Inſtrumentum ſignificant, ſed nullo negotio probari poſſunt aliud aliquid exprimere, ex. gr., Neghinot, Canticum, Hannechiloth, Mulierculärum ſaltantium Choros, Aieleth-Haſchachar, Auxilium Mattutinum, vel Serpens Mattutinus: deinde alia quatuor, quæ ſunt Synonima: ultimò tandem Jobel, qui non erat Arietis Cornu, quo clangente, annus Jubilæi annunciabatur: cui ſententiæ favet Samuel Bochartus contrariam fuſius refellens in Eruditiſſimo Opere de Animal. Sacris par. 1. lib. 2. cap. 42., ac oſtendens Arietis Cornu, cum ſolidum ſit, & intus minimè vacuum, ad pervulgandum Jubilæum inſervire non potuiſſe. Addimus, Joſephum tradidiſſe Hebraicam vocem Jobel ſignificare libertatem: Philonem in lib. de Decalogo eamdem vocem Jobel interpretatum eſſe Reſtitutionem, Jubilæus enim unumquemque in priſtinum ſtatum

tum

tum reſtituebat: Aben-Ezram ſenſiſſe, non aliud legi ſub dicto nomine, niſi Libertatem, Immunitatem, Liberationem: Ac tandem Fulerium in Miſcel., verum germanumque ſenſum hujus vocabuli eſſe Extenſionem, Diffuſionemque uti Fontis, vel Solis, quòd Jubilæus in omnes Regiones, quas Hebræi incolebant, vim ſuam extenderet. Inſtrumenta igitur Muſica, quæ in Sacrâ Scripturâ commemorantur, remanent 16. vel 17.: ſeptem Fidicularia, ſex Pneumatica, quatuor Tympanica. Fidicularia ſunt Nabel, Minnim, vel Mnannaim, Sambuca, Lyra, Kinnor, Haſur, Symphonia. Pneumatica ſunt: Chazozeroth, Kerrem, Huggab, Mininim, quod Inſtrumentum eſt etiam Fidiculare, Maſrokites, Machalath. Tympanica ſunt: Tympanum, Schaliſchim, Zalzelim, Meziolothaim.

Nabel, ſive Nablum in verſione, quæ tribuitur 70. Interpretibus, redditur Pſalterion. Inſtrumentum iſtud, juxta S. Hieronymum, ſive Authorem Commentarii in Pſalmos Pſalm. 31., Caſſiodorum Præfat. in Pſal. & S. Iſidorum, cavum habet Ventrem, cujus 12. fides ex inferioribus ad ſuperiora protenſæ, inferiùs pulſatæ, ſuperius reſonabant, & utrâque manu pulſabatur, ut tradit Ovidius de Arte amand. lib. 3. his carminibus:

Diſce etiam duplici genialia Nablia palma
Plectere: conveniunt dulcibus illa modis.

ex Electro dicit Joſephus illud Templi Jeroſolymitani, fortè ejus ætate: Aſt a Salomone in ejus ſtructura adhibitum lignum Almugim.

Minnim, vel Mnaim: fortè hæc nomina idem ſignificant; eſt Fidiculare Inſtrumentum, cui Anacreon 20. fides tribuere videtur.

Sambuca, quamquam a S. Iſidoro Orig. lib. 3. Pneumaticum inſtrumentum cenſeatur: nos tamen cum Athenæo lib. 14. cap. 3. pag. 633., & Vitruvio lib. 6. cap. 1. fidiculare putamus quatuor cordis armatum, acutumque ſonantem. De inventore Sambucæ variant Authorum opiniones, S. Clemens Alexandrinus lib. 1. Strom. pag. 307. Trogolodytis vindicat, Neanthus Zyzicenus cuidam Hyco Rhegienſi, Athenæus Sambyci; Sambuca, veluti tradit Alexander Sardus lib. 1. de Rerum Inventoribus pag. 689. canebantur Jambi. De illa Daniel cap. 3. verſ. 5.

Lyra primùm tribus fidibus conſtabat, deinde quatuor, tandem ſeptem, & illis tres aliæ additæ fuerant a quodam Timothæo, ſed Teſte Diodoro, coactus eſt a Magiſtratibus Spartanis illas ſubducere in plena Populi concione. Forma ejus Scharabæo non abſimilis,

cujus

Digitized by Google

cujus cornua referunt utraque Inſtrumenti latera ſuſtinentia Manubrium, cui junctæ fides, Corpus Scharabæi ipſe eſt cavus inſtrumenti Venter: Plectro pulſabatur. Non eadem cum Cythara, ut nonnulli contendunt: Iſaias enim cap. 5. verſ. 12. utramque ſeparatim commemorat dicens *Cythara*, *&* *Lyra*, *&* *Tympanum*, *&* *Tibia*, *&* *Vinum in conviviis veſtris*. Aliqui Mercurii inventum dicunt, unde Horatius in primo carminum ita de illo

Te Canam Magni Jovis, & Deorum
Nuntium, curvæque Lyræ parentem.

alii Apollinis, alii tandem Orphei, ſed benemulti aſſerunt a Mercurio Apollini, ab Apolline Orpheo traditam.

Kinnor interpretatur in laud. Verſione Kinir, ligneum erat inſtrumentum fidiculare, ſed quot fidibus conſtaret, & qua arte diſpoſitis ignotum. Triſtem, & reboantem ſonum edidiſſe eruimus ab Iſaia cap. 16. verſ. 11.: Kinniros in Græco, triſte aliquid, & lamentabile ſonare Heſychius teſtatur, forte ab Hebræo Kinnor. Hoc Muſicum Inſtrumentum Salici in ripa Euphratis ſuſpenderunt Captivi Babylonis.

Haſur, hoc eſt Decacordum, & Cythara, idem; Si Haſur idem, ac Cythara, hanc tradit Scriptor Epiſtolæ de Muſicis Iuſtrumentis ad Dardanum, quæ tribuitur D. Hieronymo, viginti quatuor fidibus apud Hebræos conſtaſſe, factamque fuiſſe ad forma V literæ; Polydorus tamen Virgilius canoram Cytharam docet fuiſſe decem Cordis coaptatam; in ſuperioribus plectebatur, & in inferioribus reſonabat: Ita S. Auguſtinus in Pſal. 32. S. Baſilius in Pſal. 1., S. Hilarius Prolog. in Pſal.. Pulſabatur penna, ſive virgula. Inventor Cytharæ Jubal, Geneſeos cap. 4. verſ. 21.

Symphonia idem a nonnullis fertur Inſtrumentum ſignificare, quod a nobis dicitur *la Viola* Calm. tom. 1. Diſſertationum in Sacram Scripturam, Diſſert. de Muſicis Inſtrumentis.

Chazozeroth tuba recta, & veluti tradit Joſephus lib. 3. Antiq. habens pene cubiti longitudinem, cujus anguſta fiſtula, calamo capacior, præbet latitudinem, quæ conveniat Ori ad ſuſceptionem ſpiritus: ejus mentio habetur Numer.: cap. 10. a verſ. 1. ad 11., ubi inſeruiſſe narratur cogendo ad concionem, juſſu Domini, Populo, atque ſolemnibus tum cæremoniis, tum ſacrificiis. Tubam iſtam a Piſæo Tyrrheno repertam vult Plinius, a Tyrrhenis verò omnibus Diodorus, cui aſſentitur Virgilius Æneidos 8. dicens:

Nam-

Namque improvisò vibratus ab Æthere Fulgor
Cum ſonitu venit, & ruere omnia viſa repentè,
Tyrennuſque Tubæ mugire per Æthera clangor.

Acron tandem a Dircæo, vel ut in Juſtino legitur Tyrtæo. Verùm quid multa? Chazozeroth, hoc eſt Tuba, inventa fuit à Divino Moyſe, qui duas ex argento ad enarratos uſus conflari curavit, veluti citato cap. 10. Numer. verſ. 1. narratur.

Keren erat Tubæ ſpecies, quæ materiam, & formam ex Cornibus referebat, & ideò Cornu appellabatur. Clangorem emittebat vehementem. Tam Chazozeroth, quam Keren generali nomine Hebræi vocant Scophar: ubi Textus Hebræus cap. 6. verſ. 4. Joſue habet *ſeptem Scophar*, nos in Vulgata legimus *ſeptem Buccinas*. Cornuum inventores Tyrenni Teſte Alexandro Sardo lib. 1. de Rerum inventoribus.

Huggab Organum, ſed non ita compactum, ut noſtræ ætatis Organa: Inſtrumentum, ut plurimum ſeptem, aliquandò etiam decem, & apud Turcas, qui illud vernaculo ſermone Muſcal appellant, quatuordecim, & quindecim Fiſtulis conſtans, longitudine quidem imparibus, paribus verò craſſitudine, glutine quodam, hoc eſt cera, hærentibus, quæ ſingulæ ordine ludentium ori applicatæ ſonum edebant. Inventor non Deus Pan, ut Virgilius cecinit Eclog. 2.

Pan primus calamos cera conjungere plures
Inſtituit . . . .

non Marſias, ut putavit Athenæus lib. 4. pag. 184., ſed Jubal, quemadmodum aſſerit Moyſes Geneſeos cap. 4. verſ. 21.

Mininnim, vel Mnannaim, fortè idem, ut diximus, ſignificant, atque ut aliquibus videtur cum Magadi, vel Mingadi Syrorum confundi poſſunt, Strabo lib. 10. pag. 324.. Inſtrumentum erat Pneumaticum, Tibiam referens, & juxta Athenæum lib. 4. cap. 25. p. 182. acutum, & gravem ſonum reddebat.

Maſrokithes, & Calib Tibiarum ſpecies; tribus, vel quatuor foraminibus inſtructarum, quæ ſolo nomine diſtinguuntur, & idem facilè ſunt cum inſtrumento Muſico Græcorum Syrigmon, cujus inventrix Terpſicore, vel Pan in Noniis Montibus, vel Olympus, vel Marſias. Alexander Sardus lib. 1. pag. 688. a noſtra, inquit, Vulgata Danielis cap. 3. Maſrokithes Fiſtula nuncupatur.

Machalath reddi ſolet Chorus, ſed aliquando eſſe putatur Tibia Utricularis, quæ a nobis vernaculo ſermone vocitari ſolet Cornamuſa.

Tuph, Tympanum Hebræorum, aliud arbitramur extitiſſe ab ætatis noſtræ Tympano, eodem namque ex Iſraëlitico Populo viri nunquam uſi ſunt in Bellis, & Mulieres ſæpiſſimè in Choreis, aliisque ſolemnibus Religionis cæremoniis. Illud itaque non abſimile cenſemus noſtris Cymbalis, quæ in Cribri modum cuidam ligneæ faſciæ pellem habent ſubiectam. S. Iſidorus Orig. lib. 2. *Tympanum*, inquit, *eſt pellis, vel Corium ligno ex una parte extenſum, eſt enim pars media in ſimilitudinem Cribri*. Ejusdem ſanè generis erat Tympanum, quod Mater Deorum Cybele tenebat, juxta illud

Tympanum habet Cybele, ſunt & mihi Tympana Cribri.

Scaliſchim. S. Hieronymus reddit Siſtra. Siſtrum Ægyptiorum, ut colligimus ex eruditiſs. Patre Don Bernardo de Mont. Faucon not. in Tract. de Therap., erat inſtrumentum arcuatum inſtar Hemicycli habens verticem, utroque latere longius deſcendens ad modum Balthæi: transverſum autem ſecant Æreæ quædam virgulæ, ita lateralibus inſtrumenti parietibus utraque parte inſertæ, ut ſimul virgulis quibusdam Metalli agitatæ girarent, & girando acutum ſonum, & prope ſtridentem ederent. Verò proximum eſt Hebræos ab Ægyptiis, qui etiam ſiſtro deſignabantur, hujus inſtrumenti uſum ſuſcepiſſe, quando eorum ſervitute præmebantur, ſive potius Hebræos Ægyptum incolentes ſiſtrum dediſſe Ægyptiis, ſed quia gentibus notiores fuerunt iſti, quam illi, ideò ipſius inventum ſecundis adſcriptum fuiſſe. Pagani etenim ſiſtrum inventum dicunt ab Iſide, ſub Iſidis verò nomine latebat Maria Moſis Soror, quam tripudiis, atque cantibus, præſertim in Maris littore poſt demerſos Ægyptios, operam dediſſe non ignoramus. Legatur Huetius prop. 4. cap. 10. pag. 148.

Zalzelim a ſeptuaginta & noſtra Vulgata redduntur Cymbala. Vetus autem Cymbalum erat æneum inſtrumentum inſtar Pileoli, è quo ut ſonus emitteretur, apprehendebantur duo Cymbala, alterum dexterâ, alterum ſiniſtrâ manu, & contra ſe agebantur, quod verò comodè apprehenderentur, faciebat, vel annulus Pollici inſerendus, vel anſula ſummæ manui, vel denique proëminens aliquid in vertice inſtrumenti inſtar cuſpidis. Zelzelim, ſcilicet Cymbalum, validum ſonum longius auditum edebat. De ipſo Pſal. 150. verſ. 5. *Laudate eum in Cymbalis beneſonantibus, &c.* Quem piiſſimus atque eruditiſſimus Cardinalis Bellarminus ſic exponit: *Cymbala quatiuntur*,

tur, *& tinnitum reddunt*, *magnumque ſonitum*, *quales ſunt Campanæ apud Chriſtianos*.

Mezilothaim, nimirum Tintinnabula, non ea tamen, quæ noſtri moris ſunt, & recentioris inventi, ſed lances quædam, quæ percuſsæ tinnitu ſuo aërem longè latèque commovebant, cætuſque magnos populorum indicebant, Calm. Diſſer. de Inſtrumentis Muſicis.

His præmiſſis, jam ea, quæ Pſalmos ipſos tangunt, conſtituamus oportet. Titulos Pſalmorum, licet laudibus, quibus illos nonnulli ex Patribus, ſacriſque Interpretibus cumularunt non indignos putemus: nihilotamenminus cum plerique veritati, & ſenſui Pſalmorum non congruant, Divini Spiritus Opus habendos, & in cenſum Sacrarum Scripturarum cooptandos non arbitramur, ſed eos dumtaxat laudamus, qui cum hiſtoriæ veritate, & ſenſu Pſalmorum congruunt, nec a contextu abludere inveniuntur. Fortè dicti Tituli ſunt Gloſsæ non ab Eſdra, ſed ante, vel poſt ipſum ab ignotis, & nullius authoritatis hominibus textui adjectæ: Haud rarò Pſalmis, quibus præfixi ſunt non conveniunt, imo illorum Hiſtoriæ repugnant, ſicuti de titulo Pſalm. 49. teſtatur D. Hilarius in eumdem num. 1. dicens: *Pſalmus omnis ab hiſtoria* (ſcilicet a narratione tituli) *diſſidet: inſcribitur enim cum ſuccendit David Meſopotamiam Syriæ, & percuſſit Idumæos, ac propterea triumphalis eſt. Cum interim ſolam triſtitiam, meſtitiamque ſpiret*: Sæpe uni tribuunt authori Pſalmum, qui alteriùs eſt, quemadmodum judicat D. Auguſtinus de Pſalm. 89., qui in textu Hebræo, in Verſione Græca, & in Vulgata inſcriptus eſt Moyſi: *Non enim*, inquit, *credendum eſt ab ipſo omninò Moyſe, ipſum Pſalmum fuiſse conſcriptum, qui ullis ejus literis inditus non eſt*. Quibus aliiſque haud levis momenti rationibus permota Eccleſia, ejusque Caput Pontifex Maximus nullum piis, doctiſſimiſque Commentatoribus in aſſignando Pſalmorum argumento, & Authore, modum impoſuit, eoſdemque extra præſcriptos in fronte ipſorum limites prætergredi impunè tulit, adeò ut inter Chriſtianos Doctores ardeat controverſia, utrum Pſalterium unius Davidis ſit fœtus, an omnium Sacrorum Authorum, quibus Pſalmi in titulis adſcribuntur, an potius aliquorum tantum ex ipſis. D. Joannes Chryſoſtomus, & S. Auguſtinus primæ ſententiæ inhærent, iſte verò lib. 17. de Civ. Dei cap. 14. poſt rejectam eorum opinionem, qui tribuendos tantum Davidi exiſtimabant eos Pſalmos, qui erant præclaro ejus nomine inſigniti, ita concludit: *Mihi credibilius videntur exiſtimare, qui omnes illos* 150. *Pſalmos*, *ejus* (nimirum Davidis) *operi tribuunt:*

ex quibus S. Præſulis verbis, apertè, ni fallimur, patet intruſum eſſe alienâ manu in annotationes ejusdem in Pſalmum primum, quòd ibi legitur, & in nullis MSS. reperitur, nempe: *Non omnes Pſalmi a Davide editi ſunt. David ſolus 9. Pſalmos ore proprio cecinit: Reliqui autem ab illis quatuor Principibus (Aſaph, Eman, Idithum, Etan) juxta titulorum inſcriptiones ſunt dicti*; Neque deſunt rationes, per quas non ſolum Auguſtinus, ſed etiam Caſſiodorus, & Euthimius, & Coſmus Monacus, & Venerabilis Beda, aliique inſignis doctrinæ Scriptores, in indicatam ſententiam inclinari potuerint: Viderunt ſolos Davidis Pſalmos in veteri Teſtamento electos, ut ipſis præcipuarum ſolemnitatum occaſione Domus Domini perſonaret. Cujusnam, amabò, Hymnis Templi Salomonici dedicatio ſolemnis celebrata? *Levitæ*, inquit Eſdras Paralip. 2. cap. 7. verſ. 6., *in Organis carminum Domini, quæ fecit David Rex, Hymnos David canebant*. Non ne Ezechias divino Cultu in Templo Jeroſolymitano reſtituto Paralip. 2. cap. 29. verſ. 30. præcepit Levitis, ut *laudarent Dominum Sermonibus David*? Quid Sacerdotes, & Levitæ, fundato poſt ſolutam Babylonicam Captivitatem ſecundo Templo? Hæc habet primus Eſdræ cap. 3. verſ. 10. *Steterunt Sacerdotes in ornatu ſuo cum Tubis, & Levitæ filii Aſaph in Cymbalis, ut laudarent Deum per manus David Regis Iſraël*: Viderunt nunquam in Novo Teſtamento niſi ſub Davidis nomine ſententias ex Pſalmis laudari: Matt. cap. 22. verſ. 44., Marci 12. verſ. 36., Lucæ 20. verſ. 42., Dominus, ac Servator noſter Jeſus Chriſtus, volens ſe Dei Filium non ſolius Davidis præbere, ſententia utitur deprompta ex ipſiuſmet Davidis Pſal. 109., & D. Petrus Apoſtolorum Princeps, atque in terris Vices Dei Gerens, demonſtraturus malignum adverſus Chriſtum Dominum impiorum Sacerdotum Concilium Pſalmi *Quare fremuerunt gentes, &c.* adhibuit Teſtimonium, atque Davidi, quamvis in originali non eſſet illius nomen ipſi præfixum, adſcripſit. Viderunt denique Eccleſiæ, atque Eccleſiaſticorum Authorum ſtylum deſignandi Pſalterium nomine Pſalmorum Davidis, eosdemque Sancto Regi tantum acceptos ferendi. Verùm haud tanti faciendas dictas rationes putant alii pietate, atque doctrinâ inſignes Doctòres, ut eisdem quidquam reponere non liceat. Non eſt, inquiunt, cur ullus miretur de cantatis ſolummodò Davidicis Pſalmis in primi Templi dedicatione: Etſi namque deligi potuiſſent aliorum Vatum Hymni, ut magnâ celebritate conſecratio illa coleretur, quia tamen ad Salomonem pertinebat de re Muſica decernere, ipſe acceptarum præ aliis fratribus à Patre gratiarum memor ipſius Cantica prætulit ce-

Digitized by Google

ceterorum carminibus: Ezechias verò, aiunt, præcepit, ut a Sacerdotibus, atque Levitis laudaretur Dominus, non ſolum verbis David, ſed & Aſaph Videntis, nec à Divino Magiſtro noſtro, ejuſdemque Apoſtolo Petro autumant attributum Davidi totum Pſalterium, quòd duo tantum adduxerint Teſtimonia è duobus Pſalmis, quorum unus, nempe centeſimus nonus erat nomine Davidis inſignitus, alterum verò jam popularium ſuorum traditio Davidi adſcripſerat. Quod autem Eccleſia, Eccleſiaſticique Scriptores Pſalterium nomine Davidis ornaverint, in cauſsa fuiſse opinantur, quia familiare eſt, ſcitumque, ut nomina ex potiſſima rerum parte deducantur: quamobrem cum inter Pſalmos, quos Pſalterii Codex complectitur, numerus Davidicorum numerum ſuperet ſpectantium ad alios Vates, ideò factum fuit, ut Pſalterium Regio Davidis nomine decoraretur: Secundam itaque ſententiam tuentur Origenes, Euſebius Cæſarienſis, S. Hilarius, Author Synopſeos D. Athanaſio tributæ, Sanctus Hieronymus, Xyſtus Senenſis, Jacobus Bonfrerius, Tirinus, Huetius, Nierembergius, Graveſonius, &c., quibus addenda magna Hebræorum Magiſtrorum pars, ac præſertim R. David Kimchi. Inter veteres Patres S. Hilarius in Præfat. ad Pſalmos ſuam ſic mentem aperit: *Sunt plures eorumdem Pſalmorum Scriptores. Nam in aliquibus David author præſcribitur, in aliquibus Salomon, in aliquibus Aſaph, in aliquibus Idithum, &c. ex quo abſurdum eſt Pſalmos David dicere, aut nominare: cum ibi Authores eorum ipſis inſcriptionum titulis commendantur, & Liber Pſalmorum rectius eſſe dicetur, diverſis in unum Volumen Prophetis, diverſorum, & authorum, & temporum congregatis*: Et S. Hieronymus D. Hilario conſentit Epiſt. ad Sophronium dicens: *Pſalmos omnes eorum teſtamur Authorum, qui ponuntur in titulis, David ſcilicet, Aſaph, & Idithum, filiorum Chore, Heman-Ezrahite Moyſi, & Salomonis, ac reliquorum, quos Eſdras primo Volumine comprehendit:* Imò in Epiſt. ad Ciprianum erroris nota perſtringit eos, qui omnes Pſalmos David arbitrantur, & non eorum, quorum nominibus inſcripti ſunt. Inſuper earum rerum hiſtorias Pſalmorum aliqui continent, quæ longè poſt Davidem evenere, nec ulla neceſſitas jubet, ut ab illo propheticè dicantur conſcriptæ: quis exaratos a Davide Pſalmos crediderit, ut de recepto conceſſæ à Cyro libertatis nuncio gratias Domino ageret, atque feſſos de via Iſraëlitas e captivitate in patrium ſolum redeuntes erigeret? Quis carmina eumdem paraſse exiſtimaverit pro conſecratione ſecundi Templi, mœniumque Jeruſalem dedicatione? Has aliasque ob rationes minimè leves, aut contemnendas, in magno loco habemus

mus duas, quas retulimus ſententias: ſed verbis Eſdræ utentes lib. 3. cap. 4. verſ. 41. *Magna eſt veritas, & prævalet*, utraque relicta, tertiam, quæ Authores Pſalmorum facit aliquos dumtaxat ex iis, quibus datur honor Scriptionis eorumdem, amplectimur. Nonnulli namque in titulis Pſalmi conditi ab illis Vatibus aſſeruntur, qui procul dubio temporibus minimè vixerunt rebus in eisdem enarratis congruentibus. Qui fieri, ex. gr., poteſt, ut Ethan a Davide inter Cantores electus ſuderit Carmen 88. *Miſericordias Domini in Æternum cantabo, &c.* per quod Viri doctiſſimi putant rogari Dominum pro liberatione Populi in ſervitute Babylonica poſiti? Calmet in ſerie Chronologica Pſalmorum pag. 425.. Num ad propheticas vaticinationes recurremus cum nulla nos eò cogat neceſſitas? præterquamquod Æthanem prophetico ſpiritu illuſtrem, Scriptura Divina minimè tradit. Aliqui nomine ejus Authoris decorantur, qui ſi eos edidiſſet, haud altum in Sacro Volumine de hac re ſilentium. Incredibile Patrem Hiſtoriæ Moyſem, qui accuratiſſime Creationis narrationem depinxit, gratum Adami erga Deum animum, per ſummam injuriam præteriiſſe, nulla facta mentione Pſalmi 91.: *Bonum eſt confiteri Domino, & pſallere nomini tuo Altiſſime* (Chaldaice ſic inſcripti) *Laus, & Canticum, quod dixit Homo primus pro die Sabbathi*. Silentio Moſis accedit, quod idem Pſalmus multas res complectitur, quarum notitia caruit tunc primus Parens, quasve fortaſsè in totâ ſuâ vitâ ignoravit. Quomodo in ipſo Mundi primordio Dechacordum, Pſalterium, & Cythara, quæ Inſtrumenta non niſi poſt multos annos reperta ſunt? Quomodo nomen Libani ita nuncupati, ſive a voce phœnicia *Laban*, nimirum *Albus*, ſive Aſsyria *Alben*, hoc eſt *albeſcere*: Libani etenim Vertex perpetuis nivibus albus: *Nix*, inquit Hieronymus lib. 4. in Jeremiam, *de Libani ſummitatibus deficere non poteſt, nec ullo, ut omnis liqueſcat, ſolis ardore ſuperatur*. An ne primo Mundi Sabbatho ninxit? Alii traditi ſunt alicui Viro muſices peritiſſimo, ut in Organis cantarentur, quemadmodum de iis cenſemus, qui Idithum aſſeruntur: nuſquam ſiquidem habent eorum tituli Pſalmus Idithum, ſed Pſalmus David, vel Aſaph pro Idithum, vel in finem ipſi Idithum Canticum David, per quod manifeſto deſignatur Author Pſalmi alius ab Idithum. In opinione itaque ſumus quinque fuiſſe Pſalmorum Authores, Davidem ſcilicet, Aſaphum, Jeremiam, Aggæum, & Zachariam. Duorum priorum teſtis eſt Sacrorum Annalium liber ſecundus cap. 29. verſ. 30., & multa Ecclaſiaſticorum Scriptorum turba, ac inter eos Sanctius, & Abulenſis, qui ſuper prim. Paralip. cap. 17. quæſt. 5. inſu-

inſuper autumat Davidem Spiritum Prophetiæ alligatum Muſicæ habuiſſe, ſicuti Sampſon fortitudinem capillis: quæ nobis ſententia minimè diſplicet: eumdem etenim extra Pſalmos, Prophetiæ dono afflatum non legimus, ſed divina Oracula, vel per ſummum Sacerdotem, vel per alios Prophetas ſemper ſcimus expetiiſſe: alii verò tres approbantur ab eruditiſſimis Viris Daniele Huetio Demonſtr. Evang. prop. 4. cap. 14. num. 2. pag. 227. & 228., & Auguſtino Calmetio Tom. 1. Diſſertationum in Sacr. Script. Diſsert. in Authores Pſalmorum pag. 383.. Nec magnum momentum habet oppoſitio illa, quæ nonnullos Pſalmorum, iſti attributorum, Davidis nomine ſignatos, ad eos idcirco aſserit nequaquam poſse pertinere: quia cum Hiſtorias complectantur Davidis temporibus poſteriores, non a Davide, ſed ex ejus formula, & exemplo lucubrati, cenſeri debent, atque Pſalmi Davidici nuncupari. Ita Syracuſio verſu ludere ſe dicebat Virgilius, cum ad exemplum Theocriti Eclogas ſcriberet: ita & Aſcræum Carmen ſe per Oppida Romana canere, cum ad Heſiodi imitationem Georgica componeret: Ita & Ceæ Neniæ munera tractare ſe ajebat Horatius, cum Simonidem Ceum imitaretur. Verùm enim verò, cum Pſalmorum Carmina fœtus fuerint Authorum, quos indicavimus, partim ab anno ante Æram Chriſti 1060. ad 1014., partim ab anno ante eamdem Æram 588. ad 425. circiter, vehementer non indignari non poſſumus de temeritate dementiſſimâ inſignique impudentia Pauli Samoſateni, qui *Pſalmos*, ut inquit Euſebius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 7. cap. 30. pag. 281., *in honorem Domini Jeſu Chriſti cani ſolitos, quaſi novellos, & a recentioribus hominibus compoſitos abolevit*: & Anabaptiſtarum, qui hanc hæreſim iterum ſuſcitarunt, aſſeverantes Pſalmos, neque a Davide, neque ab aliquo Sancto Viro divinitùs conditos, ſed a recentioribus quibusdam Judæorum Magiſtris, poſt Chriſti adventum conditos: ac demum Theodori Mopſveſteni, qui (ut in Actis 5. Synodi adnotatur) nihil eſſe de Chriſto in Pſalmis ſcriptum: nihil in Pſalmis de Chriſto ſcriptum? Mortalium impudentiſſime! Ut Hæreticum iſtum mendacii convincamus, nonnullas ponimus è Pſalmis depromptas Theſes, quæ Chriſtum reſpiciunt. I. Chriſtum eſſe verum Dei Filium Patri Coæternum, conſuſtantialem, & Coæqualem, ſuadent verba illa Pſalmi 109. verſ. 5. *Ex utero ante Luciferum genui te, &c.* noſque adverſus impiam Arianorum ſectam tuemur: quod etenim Deus genuit, Dei Filius eſt, quia verò Dei Filius, æternus etiam eſt, quoniam ut inquit Ambroſius lib. de Symbolo cap. 4. *Quod Pater eſt, eſſe non cœpit, & ſi non cœpit, nec Filius cœpit: Filius autem qui eſt*, ait Cyrillus 14.

D 4 Theſ.

Theſ. pag. 140. *& exiſtit abſque principio, ex æterno prodiens a Patre, accipere dicitur omnia, quæ Patri naturâ inſunt*: Cumque ſit, ut verbis utamur Hilarii, *ex Deo Deus, eſt illi conſubſtantialis, & coæqualis*. Blaſphemavit itaque Mopſveſtenus dicens, nihil in Pſalmis reperiri, quod fuerit de Chriſto prolatum. II. Non ſolum credimus Chriſtum, qui carne præditus, venit in Mundum, fuiſſe verum Deum Patri coæternum, conſubſtantialem, & coæqualem, ſed adverſus Sabellianos, & Marcellianos, omneſque alios perſonas in Deo plures abnegantes ſuſtinemus non eamdem, ſed aliam a Patre fuiſse in Filio Perſonam: aliam enim eſse Perſonam Patris, aliam Filii docemus in Symbolo, quod tribuitur quidem D. Athanaſio, ſed fœtus evincitur Vigilii Tapſenſis Epiſcopi Affricani, qui floruit imperante Juſtiniano circa annum Chriſti 560., ab eruditiſſimis Viris Godefrido Hermantio Bellovacenſi Canonico in ſuis obſervationibus ad Vitam S. Athanaſii, Caſimiro Oudino in ſupplemento de Scriptoribus Eccleſiaſticis à Bellarmino omiſſis pag. 32., & Daniele Papebrochio in reſponſione ad Exhibitionem errorum evulgatam per Reverendum Patrem Sebaſtianum a S. Paulo Ordinis Carmelitani artic. 16. de Scriptis Sanctorum §. 4. num. 33. pag. 12. Dogmatis vero hujus pars altera præcipuè colligitur ex verbis illis Pſalmi 109. *Dixit Dominus Domino meo, &c.*, quæ cum de Chriſto ſint intelligenda, atque Judæi antiquiores, & Chriſti æquales de Chriſto intellexerint, manifeſtè diſtinctas amborum, ſcilicet Patris, & Filii eſſe Perſonas ſignificant. An ne ſi de ſemetipſo, non autem de Filio ita locutus fuiſset Pater, ejuſmodi Unius ad ſuammet Perſonam ſermo nugaciſſimus, & ineptiſſimus non fuiſſet? Eruitur quoque Filii a Patre diſcrimen, e Commate 7. Pſalm. 2. *Dominus dixit ad me Filius meus es tu; Ego hodie genui te*. Quem pariter Pſalmum capiendum eſſe de Chriſto affirmarunt veteres Hebræi, quemadmodum teſtatur Aben-Ezra in Commentariis. Par, eademque de Pſalmo 44. duci poteſt argumentatio, nam ipſum de Chriſto interpretantur, non Chriſtiani modo, ſed etiam Hebræi: cum etenim Apoſtolus Paulus in Epiſt. ad Hebræos cap. 1. verſ. 8. illum ejuſdem locum: *Thronus tuus Deus in ſeculum ſeculi, &c. Propterea unxit te Deus, Deus tuus, &c.*, referat ad Chriſtum, eumdem Chriſtum Dei Filium a Patre diſcernit: muta igitur æternum fiant impia Theodori Mopſveſteni labia, omniumque aliorum evomentium nihil in Pſal. eſſe de Chriſto. III. Pſalmus 71. verſ. 7. clariſſimam notam complectitur, ad quam intendentes animum veteres, ac recentiores Judæi, & poterant illi temporis propè punctum adventus Chriſti internoſcere, & deberent hi candidè fateri

teri eumdem jam adveniſse: *Orietur*, ait Author ejusdem David, *in diebus ejus juſtitia*, *& abundantia pacis*: Non ne duplicem pacem, duplicemque juſtitiam Chriſti Nativitas in Mundum invexit, æternam ſcilicet, & cœleſtem, atque terrenam, ac temporaneam? Ut a pace temporanea exordium ſumamus; Auguſto Terrarum Imperium regente, Chriſtum in hanc mortalem miſeramque vitam ingreſſum non eſt qui neſciat: Auguſtus verò, ut tradit Suetonius in ejus vita, Janum Quirinum ſemel, atque iterum a condita Urbe memoriam ante ſuam clauſum, in multo brevioris temporis ſpatio, terra, Marique pace parta, ter clauſit. Sed huic temporariæ paci Deus & Homo Chriſtus æternam quoque addidit, cum Diſcipulos ſuos ita eſt allocutus Joan. 14. verſ. 27. *Pacem relinquo vobis*, *pacem meam do vobis*, *non quomodo Mundus dat Ego do vobis*. Quam igitur, ſi non illam, quam Mundus dat, & quomodo Mundus dat? Illam ſcilicet; quæ motus animorum ſedans, & mentes humanas, etiam dum in inquietis illigatæ ſunt Corporibus, tranquillans, & componens, homines Beatitatis æternæ, nulli unquam turbini obnoxiæ compotes facit: Eo autem modo quo æternus Dei Filius Unigenitus factus obediens Æterno Patri uſque ad Mortem, & quidem Crucis, ſemperque vivens ad interpellandum pro hominibus, ab amantiſſimo Patre pretium Sanguinis ſui gratiam eisdem impetrare potuit, ut devictis tandem hoſtibus ſuis, perpetuæ jucundiſſimæ Quietis fierent habitatores. Imaginem quamdam hujus quietis, licet longè imperfectam, conſpicere potuerunt Mortales, cum humanam formam induit Dei Filius, quia fructus juſtitiæ pax: juſtitiam autem ut colerent homines, quam potuit maximè, Auguſtus conatus eſt: nam teſte Oroſio lib. 6. cap. 22. *Leges plurimas ſtatuit*, *per quas humanum genus liberæ reverentia diſciplinæ morem gereret*: Quamobrem impletum tunc temporis fuit vaticinium illud Pſal. 84. *Juſtitia & pax oſculatæ ſunt*. Quî enim fieri poterat, ut oriente Juſtitiæ Sole, Deoque dante Doctorem Juſtitiæ, rectum ipſius callem non viderent habitatores Orbis, atque illam juſtitiam minimè diſcerent, quæ manet in ſeculum ſeculi, &c. Complectuntur igitur Pſalmi, o Mopſveſtene, quod magni momenti eſt, & Chriſtum reſpicit. IV. A nonnullis Pſalmorum, præſertim a 21. & 68., ita ſub oculos poni aſſerimus imaginem Paſſionis Chriſti, ut nemo adhuc vixerit Homo, ad quem illa ſimilitudine magis accedat. En ejusdem Paſſionis ſimulacrum. Juſtum judicium judicetur: *Cor meum conturbatum eſt in me*, *& formido mortis cecidit ſuper me*: *Timor*, *& tremor venerunt ſuper me*, *& contexerunt me Tenebræ* Pſalm. 54. verſ. 5. & 6.; *Triſtis eſt anima*

ma mea uſque ad mortem, Matt. cap. 26. verſ. 35.. *Tribulatio proxima eſt* Pſalm. 21. verſ. 12. *Ecce appropinquavit hora*, *&* *Filius hominis tradetur in manus Peccatorum* Matt. cap. 26. verſ. 45. *Si inimicus meus maledixiſſet mihi ſuſtinuiſſem utique: Tu vero Homo unanimis, Dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, &c.* Pſalm. 54. verſ. 13. & 14.. *Ecce Judas unus de duodecim venit, & dedit illis ſignum, dicens, quemcumque oſculatus fuero, ipſe eſt tenete eum: Et confeſtim accedens ad Jeſum dixit: Ave Rabbi, & oſculatus eſt eum* Matt. cap. 26. verſ. 47. & 48.. *Circumdederunt me Vituli multi, Tauri pingues obſederunt me* Pſalm. 21. verſ. 17.. *Et cum eo turba multa cum gladiis, & fuſtibus miſſi a Principibus Sacerdotum, & Senioribus Populi: Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Jeſum, & tenuerunt eum* Matt. cap. 26. verſ. 47. & 50.. *Non eſt qui adiuvet* Pſal. 21. verſ. 12., *Tunc diſcipuli omnes relicto eo fugerunt* Matt. cap. 26. verſ. 47. & 50.. *Circumdederunt me Canes multi concilium malignantium obſedit me. Inſurrexerunt in me teſtes iniqui & mentita eſt iniquitas ſibi* Pſalm. 21. verſ. 17. & Pſal. 26. verſ. 12.. *Principes autem Sacerdotum, & omne concilium quærebant falſum teſtimonium, contra Jeſum, ut eum morti traderent* Matt. cap. 26. verſ. 59.. *Elongaſti a me amicum & proximum* Pſal. 87. verſ. 19.. *Dixerunt Petro, verè tu ex illis es: Tunc cœpit deteſtari, & jurare, quia non noviſſet hominem* Matt. verſ. 73. & 74.. *Poſui ori meo cuſtodiam, cum conſiſteret Peccator adverſum me: Obmutui, & humiliatus ſum* Pſalm. 38. verſ. 2. & 3.. *Dicit illi Pilatus: non audis quanta adverſum te dicunt teſtimonia? Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præſes vehementer* Matt. cap. 27. num. 13. & 14. *Captabunt in animam juſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt* Pſalm. 93. verſ. 21.. *Principes autem Sacerdotum, & Seniores perſuaſerunt populis, ut peterent Barabbam, Jeſum vero perderent = dicunt omnes crucifigatur* Matt. cap. 27. verſ. 20. & 23.. *Congregata ſunt ſuper me flagella = ſuper dolorem vulnerum meorum addiderunt* Pſal. 34. verſ. 15. Pſal. 68. verſ. 27.. *Jeſum autem flagellatum tradidit eis: Tunc milites Præſidis, ſuſcipientes Jeſum in Prætorium congregaverunt ad eum univerſam Cobortem* Matt. cap. 27. verſ. 26. & 27.. *Suſtinui opprobrium; operuit confuſio faciem meam = Factus ſum illis in parabolam* Pſal. 68. verſ. 8. & 12.. *Et exuentes eum, clamydem coccineam circumdederunt ei: & plectentes Coronam de Spinis poſuerunt ſuper caput ejus, & arundinem in dextera ejus: Et genuflexò ante eum illudebant ei, dicentes: Ave Rex Judæorum* Matt. cap. 27. verſ. 28. & 29. *Foderunt manus meas, & pedes meos, dinumeraverunt omnia oſſa mea* Pſal. 21.

Digitized by Google

Pſalm. 21. verſ. 18.. *Crucifixerunt eum* Matt. cap. 27. verſ. 35. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem* Pſalm. 21. verſ. 19.. *Diviſerunt veſtimenta ejus ſortem mittentes* Matt. cap. 27. verſ. 35.. *Dederunt in Eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto* Pſal. 68. verſ. 22.. *Et continuo currens unus ex eis acceptam Spongiam implevit aceto, & impoſuit arundini, & dabat ei bibere* Matt. 27. verſ. 48.. *Deus Deus meus quare me dereliquiſti* Pſal. 21. verſ. 1.. *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me* Matt. cap. 27. verſ. 46.: Et adhuc poſt tam multa, tam clara, tam diſtincta de Chriſti paſſione in Pſalmis, viſum eſt Theodoro Mopſveſteno nihil in eisdem reperiri de Chriſto? O cæcas Hæreticorum mentes!

XXII.

Author Proverbiorum Eccleſiaſtis, & Cantici Canticorum Salomon.

Regios fœtus Salomonis agnoſcimus Libros Proverbiorum, Eccleſiaſtis, & Cantici Canticorum. Horum primus, nimirum Liber Proverbiorum, ut optimè coniecit Vir eruditiſſimus Ferdinandus Salazarius, inclitæ Societatis Jeſu ſcriptor, apud Nierembergium de Orig. Sacr. Script. lib. 10. cap. 2. pag. 347., eſt Convivium Sapientiæ, in quo dictus Hebræus Princeps ſeipſum, atque Agur, Lamuelemque Regem colloquentes inducit: Ad cujus deindè exemplum Plato, Socratem, Phedrum, Pauſaniam, & alios quosdam de amoris laudibus verba facientes, & Plutarchus ſeptem Græcos Sapientes, qui de legibus ſermonem haberent, introduxere, ſuumque Epulum effinxere. Suadet nobis a veri non abhorrere ſimilitudine opinationem iſtam, tum vetus, & germana libri tela, quæ in translatione Vaticana, ſeptuaginta Interpretibus attributa, ita contexitur, ut poſt decem priorum capitum, exordium dicere incipiat Salomon, ſermonemque producat ad totum vigeſimum ſecundum verſum vigeſimi quarti Capitis: Poſt eum parabolas ſuas primo Agur, ſecundò Lamuel proferat, ac tandem idem Salomon, ad proverbia ſua rurſus redeat: tum varia, & multiplex Eccleſiaſticorum Doctorum, qui de Agure, & Lamuele, quinam fuerint, differunt, ſententia: Potius enim divinare videntur, quam rem probabiliter exponere, a qua profectò ariolandi ratione nos longiſſimè abſumus, qui Volu-

men

men iſtud Sapientiæ Convivium nuncupantes Agurem, & Lamuelem affirmamus eumdem eſſe Salomonem, hiſce diverſis nominibus tectum, ut diverſorum Convivarum perſonam gereret. Aureum hunc tractatum Rabbini, qui credita eſſe ſibi jactant eloquia Dei, e Sacrorum Librorum cenſu expungere attentarunt, veluti legimus in Thalmude tractatu Sabbathi cap. 2., & feciſſent, ſi non aliqua in eo eſſent nacti, quæ ad legis commendationem opportuna eſſe judicavere. Verùm quia cogitarunt, nec fecerunt tamen, inditio eſt nefariam ipſorum voluntatem vi veritatis fuiſſe oppreſsam, & utrimque penſitatis rationibus, ſanctitatem demum illius eos agnoviſse. Ex hoc autem arguimus, nullum poſse, abſque dementiſſima temeritate Proverbiorum Volumen in dubium vocare.

Secundum, hoc eſt Eccleſiaſtis Librum, volunt Thalmudiſtæ cap. 1. Babæ Bathræ elucubratum ab Ezechia, qui decimus quartus inter Reges Juda Achaſo Patri ſucceſſit anno conditi Orbis 3277. Per. Jul. 3987., & Moyſes Kimchi ad Iſaiam pertinere autumat, ac tandem Grotius Zorobabeli adſcribit, ipſumque aſſerit ex perſona Salomonis pronunciaſſe quæ in iſto Volumine continentur. Sed nulli eorum convenire poſſunt, quæ ſibi tribuit verus ejusdem Author. An ne Ezechiæ, Iſaiæ, vel Zorobabeli accommodari poſſunt verba iſta cap. 1. verſ. 16. *Locutus ſum in Corde meo dicens, ecce magnus effectus ſum, & præceſſi omnes ſapientia, qui fuerunt ante me in Jeruſalem?* Sive iſta cap. 7. verſ. 27.: *Et inveni Mulierem amariorem morte, quæ laqueus venatorum eſt, & Sagena Cor ejus, vincula ſunt manus illius.* Aut iſta denique *magnificavi opera mea: Ædificavi mihi domos, & plantavi Vineas, feci Hortos, & Pomaria, & conſevi ea cuncti generis arboribus, & conſtruxi mihi piſcinas aquarum, ut irrigarem Silvam lignorum germinantium: Poſſedi ſervos & Ancillas, multamque Familiam habui: Coacervavi mihi argentum, & aurum, & ſubſtantias Regum, & Provinciarum?* Hæc ad ſententiam ſuam flectere certè nequeunt laudati Authores. Conflatum itaque dicimus, ac elaboratum numero poëticè juncto Librum Eccleſiaſtis a Salomone ſub finem Vitæ: Nam, ut alia ſilentio prætereamus, toties iterata illa appetitæ ab eo ſapientiæ laus illum peculiariter deſignat, ac prope pingit: Qua pariter nota eum diſtinxit Deus, ut ab aliis omnibus internoſceretur: *Ecce*, inquit lib. 3. Regum cap. 3. verſ. 12., *feci tibi ſecundum ſermones tuos, & dedi tibi cor ſapiens, & intelligens in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Aſt ſi Salomon, cujus ſapientia præceſſit omnium Orientalium, & Ægyptiorum, immò cunctorum hominum ſapientiam, Au-

thor

Digitized by Google

thor Eccleſiaſtis, quomodo ait cap. 8. verſ. 15.: *Laudavi lætitiam, quòd non eſſet homini bonum ſub Sole, niſi quod comederet, & biberet, atque gauderet, & hoc ſolum ſecum afferret de labore ſuo in diebus vitæ ſuæ, quos dedit ei Deus?* Nihil peius Horatius, cum cecinit:

Ille potens ſui
Lætuſque deget, cui licet in diem
Dixiſſe, vixi: cras vel atra
Nube Polum, pater occupato,
Vel Sole puro.

Quomodo cap. 30. verſ. 19. hæc evomit: *Unus interitus eſt Hominum, & Jumentorum, & æqua utriuſque conditio:* Fortè melius Epicuræi: Quomodo verſ. 21. ejusdem capitis hanc eructat blasphemiam? *Quis novit, ſi ſpiritus Filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus Jumentorum deſcendat deorſum?* Non ita impudenter Mahometes. Quamobrem haud mirantur nonnulli priſcos Hebræos Thalmudici Libri ידים cap. 3. auſos fuiſſe dicere Eccleſiaſten manu contaminare, & de eo repudiando penitus, & abjiciendo deliberaſſe, quemadmodum eſt in Thalmudico Tractatu Sabbathi cap. 2., & apud Maimonidem in More Nevochim, & Aben-Ezram, atque tantum id non perfecere, quòd initium Libri, & finis Legi faveant, veluti referunt Hieronymus in fine Comment. in Eccleſ. cap. 12., & Philaſtrius Hereſ. 130.. Verùm enim verò, tam Hebræos, quam homines nonnullos, qui hac ætate Sacris in Codicibus impietatis ſuæ Patrocinium quærunt, arbitramur parum attentè in Voluminis hujus lectione ſuiſse verſatos, quod ſi cortice denudaſſent, non ambigimus, quin tandem fuiſſent viſuri, Salomonem ex ſua ſententia nequaquam locutum, ſed, variis libratis opinionibus, in illius partem ſe moviſſe, quæ Deum timendum, ipſiusque mandatis parendum jubet: Ita enim concludit cap. 4. verſ. 17. & cap. 5. verſ. 1. & ſeqq.: *Cuſtodi pedem tuum ingrediens Domum Dei, & appropinqua, ut audias. Multò enim melior eſt obedientia, quam ſtultorum Victimæ, qui neſciunt quid faciant mali. Ne temerè quid loquaris, neque Cor tuum ſit velox ad proferendum ſermonem coram Deo. Deus enim in Cœlo, & tu ſuper Terram.* Et cap. 7. verſ. 26. & 30. *Luſtravi*, inquit, *univerſa animo meo, ut ſcirem, & conſiderarem, & quærerem ſapientiam, &c. ſolummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, &c.*. Cum autem hæc ita ſint, & alia etiam plura in medium proferri poſſint, quæ piiſſimam rectiſſimamque Salomonis mentem oſtendant, atque patefa-

tefa-

Digitized by Google

tefaciant, non eſt cur alteri ab illo Librum Eccleſiaſtis adſcribamus: Immò ex dictis conſequi nobis videtur, eumdem jam a Mulieribus averſum, totumque ad Deum converſum, gratiam Numinis ſibi denuò conciliaſſe, ab eoque, ut æterno gloriæ Diademate datam ſibi largiſſimè ſapientiam coronaret, multis non oculorum dumtaxat, ſed cordis lacrymis obtinuiſſe.

Tertium, ſcilicet Canticum Canticorum, ob elegantiam, qua cuncta præcellit alia Cantica ita nuncupatum, Opus tale Poëticum, nihil ut eo in genere par Theocritus, atque Catullus, ſi audaciores quasdam ſimilitudines excipias, cecinerint, Thalmudiſtæ in Baba-Bathra invident Salomoni, & ovum non ſuum Ezechiæ ſupponunt, cum quibus in eumdem Sapientiſſimum Regem conjuraſſe videntur, tum Rabbi Moyſes Kimchi, tum alii nonnulli, qui ab Iſaia Propheta ex Canticis Salomonicis excerptum exiſtimant, utpote qui inter Ezechiæ familiares valeat numerari: viros autem, hoc eſt Miniſtros hujus Regis, in colligendis, adornandiſque diſperſis Salomonis operibus, haud levem operam impendiſſe, nemo eſt qui ignoret. Nos juſtiores cenſemus recentioris Ævi Rabbinos, qui è Patrum ſuorum ſententia diſcedentes, & in Cantico Canticorum ingenium Salomonis internoſcentes, ab illo, cum juvenili floreret ætate, elaboratum autumant, atque libenter haud contraria ſentimus. Verùm quamvis Juvenem Salomonem hujus minimè ſeveri carminis Authorem opinemur, atque prudenter a Patribus Synagogæ Magnæ factum judicemus, cum ſolis Viris jam trigeſimum annum ſuperantibus ejusdem legendi poteſtatem eſse voluerunt: Prona eſt enim ex parte ſua in laſciviam adoleſcentium ætas, non ideò ex eorum grege ſumus, quorum aures ita offendit hoc epithalamium, ut a Deo profectum, ac ab homine divinitùs afflato conſcriptum negent. Anabaptiſtis, & Caſtalioni (qui tamen verbis nimium mollibus, effæminatiſque ſuam illius Verſionem conſpurcavit) hunc aurium ſcrupulum relinquimus, & ſub cortice ſcriptionis amatoriæ, vel cum Maimonide, qui ſolus inter Rabbinos ineptire neſcivit, Chaldæoque Paraphraſte, etiam dicto Maimonide antiquiore, latere agnoſcimus Dei erga dilectum ſibi, ac fidelem Populum, amorem, vel cum Interpretibus Catholicis Chriſti erga Sponſam Eccleſiam, inſignem immenſamque dilectionem: Quam ob cauſſam in hoc ſe dramate Deus abſtinuit a nominibus Dominatui, & Principatui accomodatis, quibus ſervam alloquens Synagogam utebatur, ſed amoris verba uſurpavit, ſeque Amicum, Deſiderabilem, Paſtorem, Dilectum, Fratrem, Sponſum denique appellare dignatus eſt: Et idcircò illos omnes damnamus, qui hunc Librum non recipiunt,

piunt, quòd nullum in eo Divinum nomen legatur, cum in veteri Teſtamento divina nomina frequentiſſima ſint, neque aliquod in illo volumen contineatur, in quo Dei nomen non occurrat, atque laudetur. Innumeras propè Theologicas Theſes extrahere poſſemus, a tribus aureis hiſce codicibus Salomonis: Sed modo paucis contenti, in aliud tempus reſervamus. I. Adverſus Socinianos, ac præſertim Joannem Volkelium, & Jonam Schilichtingium defendimus verba illa *in initio*, *& a principio*, quæ complectitur verſ. 22. cap. 8. Proverbiorum: *Deus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret a principio*, ſignificare ante res omnes conditas, immò ex omni æternitate Deum Verbum extitiſſe, quemadmodum colligit Juſtinus Martyr in Dialogo cum Tryphone pag. 221. *Initium enim, & principium latè infinitèque ſumuntur hoc loco, ut ſint id, quod rerum omnium, quæ conditæ ſunt, quæque cogitatione mentis informari poſſunt, extantiam, & originem antecedit, ſive veram, & ut vocant, actualem, ſive divina deſtinatione, & omni æternitate fixam*. II. Ex illa ſententia Eccleſiaſtis cap. 7. verſ. 21. *Non eſt Homo juſtus in terrâ, qui faciat bonum, & non peccet*, minimè conſequitur nullum eſſe juſtum, qui faciat aliquod bonum, atque ſemper in omnibus actibus ſuis non peccet, quemadmodum blaſphemat Calvinus. Cur etenim nonnunquam non poterunt juſti bona opera perpetrare? Cur edent ſemper fœtus malos, ac inquinatos? Aſt D. Joannes Apoſtolus Epiſt. 1. verſ. 9.: *Omnis*, inquit, *qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit*. Sed homini juſto nihil deeſt, quo minus valeat bonus palmes gignere bonos fructus. Juſtus eſt in Chriſto, veluti palmes in vite. Succum divinæ gratiæ puriſſimum, aquam nimirum ſalientem in vitam æternam, trahere ab ipſo poteſt. Calore apto nunquid carere ſinet qui venit ignem mittere in terram, & nihil non facit ut accendatur? Nulla re, ſive intra, ſive extra ſe poſita prohiberi valet, ne Dei manum habeat adiutricem: Non intra, quoniam ut ait Apoſtolus ad Romanos cap. 8. verſ. 1.: *Nihil damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundum carnem ambulant*: Non extra, quia ut verbis utamur ejuſdem Pauli cit. cap. verſ. 38.: *Neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque profundum, neque creaturâ alia poterit*, veros juſtitiæ cultores *ſeparare a charitate Dei, quæ eſt in Jeſu Chriſto Domino noſtro*. Poſſunt itaque juſti homines in terris degentes bonum aliquod perficere, nec illorum actus veneno culpæ infecti ſint ſemper oportet: Habet namque verum ſenſum laud. Proverbiorum Teſti-

ſtimonium, nempe: Non eſt Juſtus, qui ſemper omnem devitet labem, & non interdum aliqua peccatorum fœditate vel materialiter, ut aiunt, minimè ſe contaminet. III. *Quæſivi & non inveni illum, vocavi & non reſpondit mihi* cap. 5. Cant. Cantic. verſ. 6. Sponſam Sponſum quærentem, licet non invenientem: vocantem, quamvis non reſpondentem, amantiſſimus jam quæſierat ſponſus: gratiam etenim per peccatum deperditam, non ſolum abſque gratia invenire non poſſumus, ut Pelagiani contendebant, ſed inſuper ad quærendam gratiam opus eſt alia gratia, quod Semipelagiani negabant, in hominum arbitrio collocantes ſemina, & diſpoſitiones, quibus gratiam petere poſſent, ac efflagitare, quos Arauſicanum ſecundum Concilium, Felice Papa Quarto, Italiæ Rege Athalarico Amalaſunthæ Filio, Galliarum Monarchis Liberis Clodovæi, Præſidente verò Cæſario Arelatenſi, Chriſti anno 529. celebratum, & a Bonifacio inter Romanos Pontifices hujus nominis II. approbatum, damnavit hoc tertio Canone: *Si quis ad humanam invocationem gratiam dicit conferri, non autem ipſam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Iſaiæ Prophetæ, & Apoſtolo dicenti, palam apparui eis, qui me non interrogabant*. Patribus Arauſicanis præluxerat S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, qui eodem anno, quo ipſi Concilium habuerunt, ad Cœlos evolavit, Epiſt. 6. ad Theod., in qua ita diſſerit: *Ut deſideremus adiutorium gratiæ, hoc ipſum quoque opus eſt gratiæ; Ipſa namque incipit infundi, ut incipiat poſci. Ipſa quoque amplius infunditur, cum poſcentibus datur. Quis verò poteſt poſcere gratiam, niſi velit? Sed niſi in eo Deus ipſam voluntatem operetur, velle nullatenus poterit*. Idem poſt ſex fermè ſecula docuit S. Bernardus Abbas Clarævallenſis: Noſtram etenim Sponſam alloqueas: *Niſi*, inquit, *quæſita, non quæreres*, quoniam ſicuti affirmat in Tract. de Gratia, & Lib. Arbi.: *Quærere gratiam initium gratiæ eſt*.

XXIII. *Sa-*

XXIII.

Sapientiæ Liber, Salomonis, ſed Græco Idiomate a Seniori Philone conſcriptus; Liber Eccleſiaſtici magna ex parte contextus ex Salomonis Sententiis a Jeſu Filio Sirach Jeroſolymitano.

CLamant ad Dominum ſuum Liber Sapientiæ, ac Liber Eccleſiaſtici, cumque regio Patre ſe natos arbitrentur, inferioris conditionis, ac fortunæ homines indignantur: An ne rationem reddunt, cur debeant Salomonis opus cenſeri? Reddunt, ſed audiri volunt ſeparatim. Liber itaque Sapientiæ hæc in medium profert, ea nimirum Authorem cap. 9. de ſe dicere, quæ Salomoni, nec ulli præterea omnia conveniunt: *Tu*, inquit, *elegiſti me Regem Populo tuo, & Judicem Filiorum tuorum, & Filiarum, & dixiſti me ædificare Templum in Monte Sancto tuo, & in Civitate habitationis tuæ Altare ad ſimilitudinem Tabernaculi Sancti tui, quod præparaſti ab initio*: Et cap. 8. *Diſponam Populos, & nationes mihi erunt ſubditæ: timuerunt me audientes Reges horrendi. Tum, Puer eram ingenioſus, & ſortitus ſum Animam bonam: Deinde adii Dominum, & deprecatus ſum illum .... Deus patrum meorum: da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem Sapientiam:* Et alibi: *Diſponam populum ſuum juſtè, & ero dignus ſedium Patris mei*. Addit ſe pleraque capere, quorum conſimilia Codicem Proverbiorum Salomonis exornant; a priſcis Patribus benèmultis citari tanquam Salomonis effata, ſententias ſuas laudari: ac demùm inter veteres Scriptores numerari verſiones aliquas, Rabbinos nonnullos, aliquos ex Chriſtianis Doctoribus, Tertullianum, Clementem Alexandrinum, Origenem, Cyprianum, Joannem Chryſoſtomum, qui ſcriptionem ſuam tribuunt Salomoni, veluti multis congeſtis ſtrenuè defendit Gonſalvus Cervantes, & compendiariis, ſed validis rationibus eruditus Lamullarum Abbas Julius Ruggerius in Opuſc. de Libris Canonicis cap. 24. pag. 105. & ſeqq. Hactenus de Libro Sapientiæ.

Nunc ſuam etiam cauſſam vult perorare Eccleſiaſtici Volumen; Et primò ſententiis quamplurimis illuſtrari oſtendit, quæ Salomonicam linguam redolere inveniuntur, atque hujus rei Teſtes ſe habere dicit erudituſſimos Viros Druſium, & Huetium, illum in Obſervationibus ſuis lib. 2. cap. 18., iſtum in Dæmon. Evang. prop. 4. cap. 14.

cap. 14. : Deindè Origenem, ſive potius Origenis Interpretem Ruffinum proponit, qui Homilia in Lib. Numerorum affirmat illud apud Latinos inter Salomonica ſcripta numerari. Demum illuſtrem Eccleſiæ Patrum Turmam inducit: Heſychium, Ambroſium, Optatum, Maximum, Leonem Magnum, Caſſiodorum, Bedam, a quibus una mente, unaque voce Salomonis partus conclamatur. Satis aures dedimus argumentis, quibus duo Libri Sapientiæ, & Eccleſiaſtici è regia Salomonis divinitùs afflata mente profluxiſſe, evincere contenderunt; Nunc audiendi ſunt illi, qui, dummodo & ipſi ſinguli dicere poſſint, cauſſam agere pro contraria parte parati ſunt. Hæc qui Librum Sapientiæ Salomoni abjudicant. Si a Salomone, inquiunt, Hebræo Rege Liber Sapientiæ natus, cur apud Hebræos nuſquam eſt? Cur patriam Linguam non loquitur, ſed ipſe ſtylus, ut ait Hieronymus, græcam eloquentiam redolet, cum tamen ævo dicti Principis idioma græcum penitùs ignotum eſſet Hebræis? Cur in Canone Hebræorum cum aliis Divinis Codicibus non deſcriptus? Cur a Chriſtianis tanquam Canonicus non acceptus, niſi poſt Laodicenam Synodum incertæ ætatis, ſed ante Nicænam, non autem poſt, ut opinatus eſt Baronius, procul dubio celebratam. Certè Hieronymus Proleg. in Lib. Salomon. Pſeudepigraphum appellat, & Auguſtinus lib. 14. de Prædeſtinatione Sanctorum in numerum refert Tractationum potius quam Scripturarum Sacrarum; immò D. Joannes Damaſcenus, etiam poſt annum, quo floruit 731. lib. 4. de Orthodoxa Fide cap. 18.: Omnium quidem virtutum refertum, pulchrum, honeſtum celebrat, aſt minimè recenſendum inter Propheticos, & nunquam in Arca Divinorum Voluminum fuiſſe ſtatuit? Cur denique nonnullis ſcriptoribus, eodem Hieronymo teſte, Judæo Philoni, a Grigentio, ſive potius Palladio in confutatione adverſus Herbanum, Iſaiæ, & ab Auguſtino lib. 18. de Civitate Dei, Jeſu Siracidi tributus? Verum enim verò jam in arenam deſcendunt dimicaturi contra Eccleſiaſtici Codicem ad Regium Ortum e Salomone pariter aſpirantem. Author hujus Libri fortè, ut ejus ambitum deprimeret, filiumque non amitteret, quem genuerat, cap. 50. verſ. 29. : Nomen ſuum prodit, ac modeſtiſſimus licet, tamquam in marmorea Baſi, in Opere ſuo hiſce verbis inſculptum voluit: *Doctrinam Sapientiæ, & Diſciplinæ ſcripſit in Codice iſto Jeſus Filius Sirach Jeroſolymita, qui renovavit ſapientiam de Corde ſuo*: Volumen itaque Eccleſiaſtici nequaquam a Salomone, ſed a Jeſu Siracide dimanavit. Inſuper cap. 48. & ſeq. Reges, Prophetas, Viroſque celebres Salomonica ætate longè poſteriores commendat: Qui fieri ergo poteſt, ut a mortuo jam

Salo-

Salomone, conſumptoque gigneretur? An ne prophetice Salomon tantos Viros, eorumque res præclarè gerendas, tanquam geſtas prævidit? Quid eſt cur miracula in ſcenam exire jubeamus? Nulla neceſſitas cogit: Ad hæc: Num flocci faciendi qui ex Chriſtianis Doctoribus Librum Syracidi adiudicarunt? Sinent ne teſtimonia ſua ut falſa, vel ſaltem inania contemni, poſtremus Apoſtolorum Canon apud Beveregium pag. 390., Origenes contra Celſum lib. 6., Euſebius Cæſarienſis Demonſtr. Evang. lib. 8., Pſeudo Athanaſius in Synopſi, Epiphanius Hæreſ. 36., Hieronymus, Procopius Gazæus, Antiochus Monacus Homil. 7., Caſſiodorus lib. 2. Inſtitutionum cap. 13., & lib. 5. cap. 3., Philippus de Harveng. anno 1160., Abbas Bonæ Spei in Lib. de Damnatione Salomonis, ac aliorum Eccleſiaſticorum Interpretum integra prope legio? Diſceptatio finita eſt: Utraque pars audita. Quod muneris noſtri eſt impleamus. Viſis itaque, & ad rectè critices leges perpenſis omnibus, Dei Optimi Maximi nomine invocato, definimus, ſtatuimus, atque pronunciamus Librum Sapientiæ verum eſſe fœtum Salomonis, ſed a Judæo Philone vetuſtiori, quem commemorat Alexander Polyſtor apud Euſebium lib. 9. Demonſtr. Evang., & Clemens Alexandrinus primo Stromatum Libro, non autem a Philone Alexandrino, qui temporibus Apoſtolicis floruit, & ad Caium Imperatorem pro Hebræis popularibus ſuis legationem ſuſcepit, peregrina veſte, Græcæ nimirum Eloquentiæ luxu, indutum. Librum verò Eccleſiaſtici non totum quidem, ſed magnam partem è Salomonis Sententiis a Jeſu Filio Sirach Jeroſolymitano, diverſo a Ben-Syrach, fuiſſe contextum. Rationes, quæ in hanc ſententiam nos ire impulerunt eædem, quæ a dictis Libris allatæ fuerunt, ut regios ſe partus Salomonicæ divinitus afflatæ mentis tuerentur: Quod verò in aurea Divinarum Scripturarum ſerie, neque apud Hebræos, neque apud Chriſtianos locum habuerint, id in cauſſa fuiſse cenſemus, apud illos tempus collectionum a Philone, & a Jeſu Filio Syrach factarum, Eſdra poſterius, apud iſtos licentia privatorum hominum eadem pro arbitrio, & captu ſuo fuſiùs ſive preſſius digerendi, unde meritò tanquam Salomonis ſcriptiones non habebantur; Sed nulla tandem in iſtis Voluminibus comperta germani, ac optimi ſenſus depravatione, ab Eccleſia recepti fuerunt, ac Patres, & Interpretes, vel Authorum, vel Concinnatorum nomine, pro uniuscujusque voluntate eos nuncuparunt. Sed quare junior Philo nempe Alexandrinus excluſus a ſcriptione Libri Sapientiæ, & Jeſus Filius Sirach dictus non idem ac Ben-Syrach? Quia magnum diſcrimen inter Stylum Libri Sapientiæ, & illius Philonis Stylum, cujus

E 2 di-

diſertiſſimas Lucubrationes in manibus habent eruditi quicumque, tum præterea, quia ex hoc fonte in opera ſuâ derivaſſe nonnullas ſententias Evangeliſtam Matthæum, ac D. Paulum, luculenter oſtendit eruditiſs. Petrus Daniel Huetius in Demonſtr. Evangel. prop. 4. cap. 14. pag. 247.: Qui duo ſanè Apoſtoli, præſertim Evangeliſta Matthæus, cum ſcripſerunt, juvenilis adhuc ætatis erat Philo ſub Tiberio Imperatore natus, atque tunc temporis ab ipſo, vel tam eximiam collectionem editam eſſe, qualis eſt ſapientia, incredibile eſt, vel etiam ſi in lucem emiſiſſet, probabile non videtur ſummos Eccleſiæ Viros voluiſſe uti Teſtimoniis ab homine recentiſſimo, atque Judæo depromptis. Jeſum autem Filium Sirach diverſum a Ben-Syrach pronunciavimus, quia, ut communis eſt Hebræorum opinio, prope 300. annis hic illum anteceſſit. Omnia etenim, tertio maximum Sacerdotium occupante, Jeſus filius Sirach Eccleſiaſticum concinnavit, Ben-Syrach verò vixit ſecundum Nierembergium de Orig. Sacr. Scriptur. lib. 10. cap. 8. altera poſt Jeremiam ætate, & Librum quemdam Proverbiorum literis mandavit, qui licet de eiſdem penè rebus, ac ſimillima phraſi pertractet, longiſſimè tamen diverſus eſt, quemadmodum evincunt Nicolaus Serarius inter Sacræ Scripturæ Interpretes, ut verbis utar Cardinalis Baronii ad annum 1126., *Lucis jubar Eccleſiæ Germanicæ*, in Notis ad Epiſt. prim. S. Bonifacii, & Jacobus Gretſerus *Hebræorum Malleus* lib. 1. Vindicationis Cardinalis Bellarmini. Hæc de Sapientiâ, & Eccleſiaſtico, è quibus tamen priusquam illos dimittamus, unum, vel alterum Theologicum Dogma hauriendum, & quidem I. Adverſus Calvinum ſtatuimus poſse ab homine juſto, opitulante divinâ gratiâ, ſervari præceptum illud Decalogi. *Non concupiſces*, idque nobis ſuadet, qui cap. 8. verſ. 21. Sapientiæ, ita loquitur, *ut ſcivi, quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det; adii Dominum, & deprecatus ſum illum*. Si juſtus enim minimè a libidine, niſi dextera Domini faciente virtutem, ipſoque auxilium a Numine efflagitante, poteſt temperare; Manum itaque porrigente Deo, eodemque Cœlum, ut ſibi adjumento ſit, pulſante, carnis comprimere poterit concupiſcentiam, Divinamque Legem de cohibendo turpis voluptatis impetu non infringere. Pronus eſt quidem hominum animus ad concupiſcendum, nec eſt in manibus ejus hanc ab originali peccato infixam in ſe venenatam radicem divellere; ſed in hoc nullum crimen. Præveniunt rationem ejusdem hominis, ac ſubiti antevertunt nonnulli concupiſcentiæ motus: aſt in hoc pariter nullum ſcelus. Aſſentitur Homo concupiſcentiæ illecebris, ac motus inhoneſtos, non modò non re-

tun-

tundit, ſed fovet: Iſtud procul dubio, quia è liberâ ipſius profluit voluntate, carere culpa non poteſt. Verùm enim verò, ſi miſericors, ac miſerator Dominus Jeſus Chriſtus noſtrum cuicumque dixit: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, &c.*, Si nos ad petendum illexit certâ largitatis ſuæ omnibus petentibus datâ ſpe, *petite, & accipietis* Matt. 7., Si gratia Dei ſufficit ut Carnis, ut Mundi, ut Dæmonis vires adverſas frangamus, *ſufficit tibi, Paule, gratia mea* ad Corint. verſ. 9., ingenuè fatemur non videre, cur velit Calvinus, non poſſe ab homine juſto ſervari mandatum illud: *Non concupiſces*. II. Adverſus Hebræos, & Sabellianos tuemur Divinarum Perſonarum Trinitatem, quod certiſſimum Chriſtianæ Fidei dogma eruimus ab Eccleſiaſtici Codice, cujus Author cap. 1. verſ. 9. *Spiritum Sanctum*; & toto fermè cap. 24., atque cap. 51. verſ. 14. Patrem, & Filium commemorat. Quid eſt enim, *ipſe creavit illam*, hoc eſt ſapientiam, *in Spiritu Sancto*? Quid, *Ego*, ſapientia ſcilicet, *ex ore Altiſſimi prodivi primogenita ante omnem Creaturam: Ego feci in Cælis, ut oriretur lumen indeficiens?* Quid, *Invocavi Dominum Patrem Domini mei?* Aliud nihil præter Trinitatem. Hoc agnoverunt ex Hebræis Neoterici, & idcircò in Thalmude ſcripſere nullum legentem Libros *Chitſiſoni*, ſcilicet Exotericos, *habiturum partem in futuro ſeculo*, & Gemara exemplum proferens, dixit *qualis eſt Ben-Syrach*, quem unum arbitrantur Eccleſiaſtici Authorem. Judæorum perfidiam imitatus eſt impius Sabellius, ſeculi 4. Peſtis, unicam in Deo Perſonam aſſerens, ſed quæ pro ſuarum diverſitate operationum, nunc Patris, nunc Filii, nunc Spiritus Sancti nomen ſubeat. Hanc tamen teterrimam Belvam profligavit primum Alexandrina Synodus Generalis, uti appellat S. Athanaſius Apol. 2., anno circiter 324. celebrata, deinde proſtravere etiam Patres centum quinquaginta Concilii OEcumenici ſecundi, Coſtantinopolitani primi, Damaſo Romano Pontifice, Theodoſio Imperatore, anno reparatæ ſalutis 381. habiti, cui præſedit Nectarius Regiæ Urbis Epiſcopus.

XXIV.

Iſaias Author totius Prophetiæ Cognominis.

Viſio Iſaiæ Filii Amos: Quid? Neque certum ad Iſaiam pertinere ſcriptionem Prophetiarum, quas hic Liber complectitur? Nonnulli ſaltem de hoc ſuſpicati fuere. Verè Deus tradidit Mundum hominum diſputationi. Putarunt ſiquidem aliqui vaticinia,

afflante Deo, ab Iſaia prodiiſſe, texturam verò, & phraſim ab alia manu: Qui autem humaniores erga ipſum, & Prophetias, & Prophetiarum lucubrationem illius eſſe auſi non ſunt inficiari, aſſerere tamen non dubitarunt eumdem nonnulla aliorum Scriptorum in Volumen ſuum derivaſſe, Gaſpar videlicet Sanctius, & Euſebius Nierembergius quorum primus exponens cap. 5. Danielis 3., & Jobi 36. aſſeverat Proverbialem illam Cantilenam, quam tradit cap., fœtum non ſuum eſſe, ſed fortè, ſecundùm aliquos, ejus patrui Amaſiæ Regis Juda, idemque fert judicium de Canticis, a quibus cap. 12. & 26. exornantur: & in commentariis ſuper hunc noſtrum Prophetam autumat eumdem inſeruiſſe cap. 27. alteram dictæ Cantilenæ partem, cujus initium: *In die illa Vinea Meri cantabit ei*. Alter verò ſcilicet Nierembergius de Orig. Sac. Scrip. lib. 10. c. 21. p. 370. & ſeq., vult Poëſim c. 38. non ab Iſaia, in Perſona Regis Ezechiæ, ſed ab ipſomet Ezechia fuiſſe compoſitam, ut de morbo a ſe depulſo gratias Deo ageret quammaximas. Verùm ſubit indignatio. Quam parum laboris habet, quam multum poteſtatis, ne dicamus tyrannidis, Judicis munus, ſi liceat Summos etiam Viros, atque Sanctiſſimos de poſſeſſione ſuâ, quamvis hominum memoria antiquiore, nullis, vel certè futilibus ratiunculis, deturbare! Nos totum quantum eſt Volumen Prophetiarum Iſaiæ nomine inſcriptum, dicimus exaratum ab Iſaia, filio Amoſi, ſi Abrabanieli fides eſt, Azariæ Regis Juda fratris, veluti agnoverunt Auguſtinus de Civit. Dei lib. 18. cap. 27., Cyrillus præfat. Expoſit. in Amos, ac tandem Procopius in Iſaiam cap. 1. verſ. 1.: non autem Amoſi Paſtoris ac Prophetæ, quemadmodum errans protulit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, tradit pſeudo Epiphanius in lib. de Vitis Prophetarum, ac opinari facile poſſent quicumque legentes apud Iſaiam Hieronyminianæ editionis cap. 27. verſ. 2. *Ezechias miſit Eliachim ad Iſaiam filium Amos Prophetæ*, & cap. 38. verſ. 31. *Intravit ad eum Iſaias filius Amos Prophetæ*, unde ipſemet Hieronymus, quamvis interpretationes vetuſtas explorare ſolitus: *Hic*, inquit, *quia ipſe de ſe Iſaias ſcribit Hiſtoriam, non ſe appellavit Prophetam, ſed filium Prophetæ*. Aſt aliquandò bonus dormitat Homerus: Utrobique enim Hebraicus Codex, & Verſio Septuaginta Senibus adſcripta, Vulgata, Cyrillus Alexandrinus, & Procopius Iſaiæ Interpretes habent, *Ezechias miſit Eliachim ad Iſaiam Filium Amos Prophetam: Introivit ad eum Iſaias filius Amos Propheta*, hoc eſt ad Iſaiam Prophetam filium Amos: Iſaias Propheta filius Amos: Vaticinari cœpit Iſaias ad finem vergente Oziæ Regno, anno ſcilicet 3276. vel 3277., ac præditionibus ſuis

Re-

Regna illuſtravit Joathani, qui 3277. Acaſi, qui 3294. Ezechiæ, qui 3308. ad Judaicum Thronum evecti fuerunt, primiſque capitibus quinque clauduntur editæ ſub Ozia. viſio relata cap. 16. locanda eſt ſub Joathane, aliæ uſque ad cap. 51. implent Regnum Acazi, reliquæ Librum terminantes, eidem inſpiratæ fuere ſub Ezechia, ac veluti nonnullorum fert opinio, etiam ſub initiis filii ejus Manaſſe, qui licet in Matrimonio haberet filiam Iſaiæ, nihilotamenminus per ſummam ſævitiam illum ſerra lignea diſſecari mandavit, quòd in carpenda ipſius impietate, corruptiſque optimatum moribus exagitandis, liberè ſe geſſiſſet. Prophetia Iſaiæ nobili ac eleganti ſtylo digeſta, omnes alias, ut putamus, Veteris Teſtamenti ſcriptiones longè orationis nitore præcellit, ſicuti etiam rerum prædictarum diſtincta narratione, & evidentia, ita ut ejusdem Author non tam Propheta, quam Evangeliſta a D. Hieronymo vocari dignus fuerit: Chriſti præcipuè Conceptionem, Nativitatem, Formam, Prædicationem, Paſſionem, Mortem nullum pinxiſſe clariùs arbitramur, quod luculenter oſtendit Graveſonius in erudito tractatu de Miſteriis & Annis Chriſti, & ideò nos unam tantum, vel alteram propoſitionem diſputandam exhibemus. I. Ab Iſaia, cum ait cap. 7. verſ. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*, prædictam fuiſſe illam, quæ conceptura, ac paritura erat Chriſtum, flore Virginitatis ornatam eſſe debere omni aſſeveratione adverſus Judæos affirmamus, ac idcircò Mariam, quæ neque duodennis, quemadmodum putat Nicolaus Monachus S. Albani in Epiſt. ad Petrum Cellenſem, neque 24. annos nata, veluti opinatur Caietanus, ſed haud multum excedens annum 14. ut ratio ſuadet, Joſepho nupſit, etiam in ipſius conceptu, ac partu Virginem fuiſſe. Ubi etenim in Vulgata eſt nomen *Virgo*, ibi Hebræa Veritas habet vocem *Alma*, quæ, teſte D. Hieronymo, Soli puellæ convenit junioris ætatis, integræ, illibatæque virginitatis, atque viris omninò incognitæ: *Quantum*, ait cap. 7. in Iſaiam, *cum mea pugno memoria, nunquam me arbitror, Alma, in Muliere nupta legiſſe, ſed in ea, quæ Virgo eſt, ut non ſolum Virgo ſit, ſed Virgo junioris ætatis, & in annis adoleſcentiæ; Oſtendant*, inquit in traditionibus Hebraicis, *igitur nobis Judæi in Scripturis alicubi poſitum, Alma, ubi adoleſcentulam tantum, & non Virginem ſonet, & concedimus eis illud, quod in Iſaia apud nos dicitur: Ecce Virgo concipiet, & pariet, non abſconditam Virginem, ſed adoleſcentulam ſignificare*. Aſt ſi Alma ſignificat Virginem, prædixit igitur Iſaias Virginem concepturam, ac parituram. De quo concepturam? De homine? Non eſſet Alma, non eſſet Virgo: Ergo de Spiritu Sancto: Ergo talem Fœtum, qui ſimul Deus eſſet, & Homo: Chriſtum itaque: Quamobrem Mariam in ipſius conceptu

Digitized by Google

ceptu, ac partu fuiſſe Virginem neceſſariò conſequitur. Negas o Judæe? Dicis Iſaiam de Uxore Achazi propemodum Ezechiam paritura locutum? Sed audi Prophetam alloquentem domum David: *Dabit Dominus ipſe vobis ſignum*. Quale? An ne ſignum, Adoleſcentulam, poſt delibatam virginitatem, more ceterarum Mulierum concipere & parere? Nullum profectò; Audiamus tamen quem paritura eſſet. Exechiam? Hoc aperte pugnat cum Sacra Hiſtoria: Edita ſiquidem eſt hæc Prophetia Achazo jam Rege Juda, ut colligitur ex cap. 16. quarti Regum, & ex cap. 7. Iſaiæ. Demus initio Regni. Tunc Ezechias, ut minimùm, novem jam annos natus erat: regnavit quippe Achaz annos Chronologicos ſecundum noſtrum Calculum 14., non Chronologicos 16. lib. 4. Regum cap. 16. verſ. 2.. Eo mortuo ſtatim ſedit in ſolio ejus Ezechias ipſius filius annorum 25. eodem lib. cap. 18. verſ. 2.. Ezechias itaque nonum ſaltem annum compleverat, cum pater illius Achaz Regnum eſt auſpicatus. Quid modo Judæe? Num Iſaiæ vaticinium de uxore Achazi paritura Ezechiam intelligendum? Cachinnos moviſti. II. Putamus eos a veritatis ſemita longè aberrare, qui verba illa cap. 11. Iſaiæ verſ. 1.: *Egredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet*, aſſerunt intelligenda de S. Joſephi Virga, dicentes illam præ ceterorum Cognatorum Virgis, inſtar Aronicæ illius, frondes floreſque emiſiſſe, cum de Beatiſſima Virgine Maria in matrimonio collocanda actum fuit, & ideò Sacerdotes Templi cognoviſſe eumdem præ omnibus eſſe Mariæ conjugio divinitùs deſtinatum: Prodigii ſiquidem iſtius perpetrandi poteſtatem in Deo agnoſcimus, fatemur, ſanguine etiam tueri parati ſumus: ſed perpetratum negamus, quia nulla neceſſitas id exigebat, nullæ teſtantur Divinæ Scripturæ, nec favent Eccleſiæ traditio, aut unanimis Patrum aſſertio. Quæ namque neceſſitas dicti prodigii, ut Joſeph præ aliis Sponſus eligeretur Mariæ, ſi ipſe Patruus erat ejuſdem, illa verò Neptis (alias niſi iiſdem omnes, qui Joſephi, etiam Mariæ fuerint Progenitores, nullo extraneo aliunde abducto, perfectam Chriſti Genealogiam per Joſephum habere non poſſumus) Unigenita, Orphana? Lex jubebat Hebræorum, ut tales Fæminæ propinquioribus traderentur Uxores. Booz a Malaonis Vidua Ruth acceptanda ſe excuſavit, donec proximior ad illam hæreditatem alius fuiſſet requiſitus, ſuoque juri ceſſiſſet. In medium proferantur Divinæ Scripturæ, ſi quæ ſunt, hujus miraculi teſtes. Evangeliſtæ profectò Mariam deſponſatam Joſepho ſcribunt: Joſephum verò de multis, qui Virginis Matrimonium narrantur ambiiſſe, Miraculo electum non ſcribunt. Mirum! Ipſos Coëvos latuit: Nos autem

tem ſcimus poſt annos circiter 1766.: Num compertum habuere, ſed præterire ſilentio voluerunt? Quare? De Summis Eccleſiæ Viris nihil malitiæ ſuſpicandum. Fortè patrocinatur Eccleſiæ traditio? Apoſtolicam, Eccleſiaſticam, receptamque hac de re non habemus; immò cum Romana Breviaria anno 1560. Venetiis edita apud Hieronymum Scotum, ſub die 19. Martii, in Officio S. Joſephi haſce inter alias tres Antiphonas exhiberent. 1. *Præceptum è Sacerdote Templi egreditur, ut quicumque de Domo David inconjugati inveniuntur, ſinguli Virgas ſiccas in manibus portent, ut appareat miraculosè cui Virgo Maria deſponſari valeat.* 2. *Joſeph cum ſuis conſanguineis ad Templum vadit ob imperium Sacerdotis Virgam ſiccam portans, videntibus cunctis, ſed poſtea eam recepit virentibus foliis.* 3. *Cœleſti Pontifex doctus Oraculo, Virgæ florentis Joſeph viſo miraculo, atque Columbæ apparentis judicio, jubet Mariam tradi Joſepho connubio, ut impleretur divina diſpenſatio*, Eccleſia citra ullam indignationem a Catholicis doctiſſimiſque Scriptoribus falſitatis notam eiſdem inuri audiens, atque Lolium è Tritico ſecernere ſibi proponens, ipſas juſſit è poſterioribus Breviariis exulare, quoniam, ſicuti de illis, ac aliis ſimilibus ſcripſit pientiſſimus, ac Sapientiſſimus Evangeliorum Commentator Sebaſtianus Barradas, non habent magnum authoritatis pondus, cum neque Patres illis ſuffragentur, ſed aliqua tantummodo ſcripta falsò Patribus attributa, ex. gr., Tractatus de Nativitate Beatæ Mariæ, qui eſt in operibus D. Hieronymi, quem docti ſciunt fabuloſum eſſe, & Hieronymo indignum, Proto-Evangelium Jacobo Apoſtolo ſtolidè adſcriptum, ſpuria Evodii in Antiochena Sede D. Petri ſucceſſoris Epiſt. &c. Authores inſignis eruditionis auxiliarii in arenam deſcenderent pro hac noſtra Sententia, ſi nobis liberet, Molanus de Hiſtoria Sanctarum Immaginum lib. 2. cap. 29., Theophilus Raynaudus tom. 7. pag. 1. punt. 4. tract. de Magnalibus S. Joſephi, Daniel Papebrochius in Vita S. Joſephi, ex Evangeliis collecta, & in reſp. ad Artic. 25. adverſus Patrem Sebaſtianum a S. Paulo, Calmetius, Graveſonius, ac alii; ſed quia diſtinctam Tractationem de falſitate hujus prodigii jam prœlo paravimus, id laud. Molano dumtaxat, Theologo Lovanienſi, ac Pontificio Regioque librorum cenſori hoc loco permiſſum volumus, ait itaque: *Quod idem S. Joſeph pingatur cum virente ramuſculo in manu, ſumpſerunt Pictores ex tract. de Nativitate Beatæ Mariæ, qui eſt in operibus Hieronymi, ex quo & alia quædam habent. Sed, cum docti ſciant fabuloſum eſſe hunc tractatum, & Hieronymo indignum, pro ut Scriptores quidam eruditiſſimi annotarunt, & res ipſa loquitur, dici poteſt per hunc ramuſculum non*

eſſe

eſſe intelligendum id, quod Pictores ex prædicta Fabula intenderunt, ſed referendum eum eſſe, ut ſignificet Virginitatem Joſeph.

XXV.

Jeremias Author totius Prophetiæ Cognominis, Baruchus ſuæ pariter Prophetiæ Author.

JEremianæ Prophetiæ Authorem non opinamur modò, ſed aſſerimus eſſe Jeremiam, Filium Helciæ, de Tribu Beniamin, è Sacerdotali progenie, ab Anathot Pago haud longè a Jeruſalem ſito. Vaticinari florente adhuc ætate cœpit, & prædictionum ipſius fines annus decimus tertius Joſiæ Regis Juda, & captivitas Babylonica nondum adulta, puta 3446. vel 3447.: Præmoſtrant verò Jeroſolymorum vaſtationem, Templi excidium, Chaldaicam ſervitutem, vocationem gentium ac denique Chriſti adventum: ſed in illis diſponendis nullus Chronologiæ ordo ſervatus, quamvis enim confuſionem, quam apud Græcos, & Latinos Librariorum incuria pepererat, D. Hieronymus emendaverit: *Ordinem*, inquit, *Viſionum, qui apud Græcos, & Latinos omninò confuſus eſt, ad priſtinam Fidem correximus:* Nihilotamenminus perturbatæ adhuc ſunt, & extra locum ſuum manifeſtò jacent, quia morem habent Viri, Sacro, ſi ita loqui fas eſt, furore correpti res fundere inordinatas, ac fermè inconditas. Duo edidit Jeremias Prophetiarum Volumina: Primum, licet in alia ſit opinione Rabbi Salomon, ſcidit Joakim, & proiecit in ignem: Alterum habemus aliis prædictionibus auctum, veluti enarratur cap. 36. verſ. 32., ubi hæc: *Jeremias autem tulit Volumen aliud, & dedit illud Baruch Filio Nereiæ Scribæ: Qui ſcripſit in eo ex ore Jeremiæ omnes ſermones Libri, quem combuſſerat Joakim Rex Juda igni: Et inſuper additi ſunt ſermones multò plures, quam antea fuerant.* Præter Vaticiniorum Codicem alium habemus Jeremiæ præclarum, ac præſtantiſſimum Fœtum, videlicet, Threnos, Carmen rebus, verbis, ac modis verè lugubre: Aſt qua occaſione iſte fletus? Nonnulli propter mortem Joſiæ, alii propter infandum Judaici Regni caſum, ſuorumque popularium Babylonicas Catenas. Nos judicantes intercidiſſe Prophetæ Lamentationes, quibus optimi Regis Joſiæ necem deploravit, in horum ſententiam inclinamus, quoniam eisdem Jeremias non unius mortem, ſed Principis ac totius olim florentiſſimi Regni vaſtationem, & communem Patriæ interitum apertè luget, metroque utitur in pri-

primo, ſecundo, & quarto Threnorum capite a Sapphico, ut putat Hieronymus, haud multum diſſimili, quia tres verſiculos, qui ſibi connexi ſunt, & ab una litera incipiunt, Heroici carminis comma concludit: In tertio autem adhibet alphabetum trimetro alphabeto contextum. Stylum Jeremiæ parem minimè conſenſus ſtylo Iſaiæ, neque nos latet illi obiectam a Hieronymo Ruſticitatem, ſicuti ab aliquibus Principi Latinorum Hiſtoricorum Livio Patavinitas exprobata fuit, nihilotamenminus in eodem ſententiarum pondus, verborum majeſtatem, vim denique dicendi admiramur. Quemadmodum a Proſa Jeremiæ, ad illius Poëſim digreſſi ſumus, ita nunc ad Proſam revertamur. Quid de Epiſtola, quæ cap. 6. Prophetiæ Baruchi refertur? Ad Jeremiam pertinere, judicamus, nihilque complecti, quod ipſius ætati adverſetur, atque Teſtimonium non habeat ab alio Sacro Scriptore: Utitur namque illa Author Libri Secundi Machabæorum cap. 2. verſ. 1.. Hactenus de ſcriptionibus Jeremiæ, quæ olim, uti tradit Euſebius lib. 6. Hiſt. Eccleſ. cap. 25., unicum efficiebant Librum. Numquid de ipſius præclarè geſtis nihil delibabimus? Abſit. Sunt quibus placet Jeremiam ſemper vixiſſe cælibem, idque hauriunt è verſu ſecundo capitis decimi ſexti ipſius Prophetiæ, ubi Dominus illum alloquens: *Non accipies*, inquit, *Uxorem, & non erunt tibi Filii, & Filiæ de loco iſto*. Quamobrem Palæſtinus Doctor, eumdem aſſerit, *Virginitate ſua Evangelicum Virum Chriſti Eccleſiæ dedicaſſe*; ad quam opinionem nos libenter accedimus, dummodò non ita intelligenda ſit, ut velit perpetuæ Virginitatis Votum ab eodem emiſſum: Certum etenim nobis eſt primam omnium inter Adæ Filios Beatiſſimam Virginem Mariam ſe ſe æternis Vinculis cælibatus illigaſſe, atque hujus tam ardui facinoris Magiſtram, ac Ducem fuiſſe, quemadmodum ſenſere præcipui tum ex Patribus, Origenes cap. 13. Matt. ſcribens: *Arbitror rationi conſentaneum eſſe virilis quidem puritatis in caſtitate primitias fuiſſe Jeſum, Muliebris fuiſſe Mariam*, Chryſoſtomus Hom. 7. in Matt., Ambroſius lib. 1. de Virginibus, Bernardus Homil. 3. ſuper, *Miſſus eſt*, ac alii: Tum ex Theologis, inter quos modò ſe ob oculos nobis ponunt celeberrimus Franciſcus Suarezius Tom. 2. in 3. part. diſp. 6. art. 3., & clarus ſacræ eruditionis fama Bartholomæus de Los-Rios in Jerarchia Mariana lib. 5. cap. 15.; & in Horizonte Mariano pag. 156.. Zelus honoris Dei videtur Virum iſtum Sanctiſſimum comediſſe, neque minæ, neque probra, aut verbera, & Carceres, ac Principum Hominum acerrimè furentium iræ ipſum a flagitiis ſceleribuſque publicis perſtringendis deterrere potuerunt: Quæ hominis conſtantia, ac ſeverum vi-

Digitized by Google

vivendi genus tantam illi ſævientis in Judæos Nabuzárdanis Aſſyriorum militiæ Principis, ac Magiſtri, reverentiam benevolentiamque conciliavit, ut eum è catenis, quibus per ſuos conſtrictum invenit, illico ſolverit, fueritque ita allocutus c. 40. v. 4. & 5.: *Ecce ſolvi te hodie de catenis, quæ ſunt in manibus tuis: Si placet tibi ut venias in Babylonem, veni, & ponam oculos meos ſuper te: Si autem diſplicet tibi venire mecum in Babylonem, reſide: Ecce omnis Terra in conſpectu tuo eſt: Quod elegeris, & quod placuerit tibi, ut vadas illuc, perge, & mecum noli venire*. Sed pro nefas! Licet habeat venerationem juſtam quod excellit, eam tamen apud Conterraneos ſuos non habuit Jeremias omni virtutum genere excellentiſſimus, quemve Victor Barbarus, & efferatus in Babylonicum Regnum abducere captivum non eſt auſus, ſeditioſi quidam Bellatorum Hebræi Principes, qui vindicem Nabuchodonoſoris gladium effugerant, in Ægyptum raptarunt, ubi, cum afflante Numine, vitia, & ſacrilegum Idolorum Cultum carperet, & Regni excidium prænunciaret, lapidibus, ut nonnulli ſcribunt, fuit crudeliter obrutus in Urbe Taphanis, Hebræis Tachpenes dicta, Phagroriopolitanæ Præfecturæ, ſecundum Zieglerum in Terræ Sanctæ deſcriptione pag. 71., ibique Sepulturæ traditus, ſed Alexandriam, ſi fides eſt Abulpharagio Hiſt. Orient. Dyn. 3. a Magno Alexandro translatus. Non deſunt tandem plerique aſſerentes Jeremiam ſupereſſe ad hunc diem in vivis, & cum Elia ſupremis Mundi temporibus appariturum. Nos minimè credimus, nec exquirere volumus, ſed proponere potius noſtram ſententiam de nonnullis ad ipſius Prophetiam ſpectantibus, quæ jam rectè critices trutina examinavimus. I. Perperam a verſ. 7. capitis 20. Jeremiæ: *Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum*, moveri arbitramur Infideles ad credendum poſſe Deum fallere, ac interdum fallere velle: quoniam ibi verbum *Seduco* non aliud ſonat, quam *illicio*, *allecto*, *induco*, & eſt illi ſignificatio indifferens ad bonum, & ad malum, quæ a rebus, de quibus agitur, vel præcedentibus, vel ſequentibus, determinatur. Hoc loco Jeremias cum Deo amiciſſimè, familiariterque conqueritur illectum ſe ab eo fuiſſe ad annuncianda Judaico Populo ſordibus Peccatorum inquinatiſſimo, flagella divinæ iracundiæ, quæ ipſe ſibi blandiebatur eumdem a vitiis ad Deum retractura, ſed ſecus & præter quam ſperaverat contigiſſe, & idcircò ſe in Regia Urbe Prophetæ munus haud amplius præſtiturum dicit, addens in hoc tamen propoſito permanere non potuiſſe, quòd fortiori afflatu de ipſo motus fuerit. Quid hoc arguit malitiæ in Deo? Allectat Deus Jeremiam ad opus bonum, nempe illum ad Judaicam gentem legat, ut eidem indicet futura

ma-

Digitized by Google

mala, bella, vaſtationem, incendia, ſtrages, captivitatem, niſi reſipuerit. Propheta in ſpem propè certam erigitur pœnitentiæ dicti populi. Aſt ſurdis ceciniſſe, & ludibrio, atque deſpectui omnibus eſſe agnoſcens, e ſpe cadit: Quis eum decepit? Deus qui ad fungendum prophetico munere induxit? Minimè: non etenim illi pœnitentiam Hebræorum promiſerat. Quis ergo? Fefellit eum ſpes ſua. Conqueritur itaque ſe a Deo deceptum, non quòd ſua deceptio exorta fuerit a Deo, ſed quòd ipſe a facinore optimo, ad quòd illexerat illum Deus, ſpem hauſerit pariter optimam converſionis Judæorum, ex qua, cum ipſum durities eorum dejecerit, ſe ideo deceptum vocat. En Divina Scriptura, quæ noſtram interpretationem libenter pati non obſcurè demonſtrat: *Seduxiſti me Deus, & ſeductus ſum: fortior me fuiſti, & invaluiſti. Factus ſum in deriſum tota die: Omnes ſubſannant me: Quia jam olim loquor: vociferans iniquitatem, & vaſtitatem clamito: Et factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium, & deriſum tota die: Et dixi non recordabor ejus, neque loquar ultra in nomine illius, &c.* II. Verba Capituli vigeſimi ſecundi dicta de Joakim, hoc eſt Jechonia verſ. 29. *Hæc dicit Dominus: Scribe Virum iſtum ſterilem: Virum qui in diebus ſuis non proſperabitur, nec erit de ſemine ejus Vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda*, minimè repugnant verbis de eodem Joakin, ſeù Jechonia, prolatis capitulo poſtremo quarti Regum: *Factum eſt autem, &c.*. Quæ illum tradunt ſummis honoribus affectum ab Evilmerodaco, & cap. 3. Libri primi Paralip. verſ. 17. & ſeq.: *Filii Jechoniæ fuerunt Aſir, Salathiel, Melchiram, Phadaia, Senneſer, & Jecemia, Sama, & Nadabia. De Phadaia orti ſunt Zorobabel, & Semei*. Nam ut, ordine Hiſtoriæ ſervato, veritatem propoſitionis noſtræ evincamus: Primo Joakim dicitur ſterilis, non natura, ſed regno, quòd nullum ſcilicet genuerit Filium, qui regio diademate inſigniri deberet. Illuſtrant hanc explanationem diverſæ lectiones hujus loci: Ubi enim noſtra Vulgata habet *ſterilem*, qui vulgò appellantur Septuaginta Senes, Theodotion, & Arabs Interpres vertunt: *Exterminatum*, Symmacus, *Vacuum*, hoc eſt depulſum e Regno, è jure transferendi in Filios Regni, e Patria, e bonis, atque coactum in externo ſolo, abſque libertate, ac ad alterius arbitrium vitam agere. Deinde appellatur *Vir, qui in diebus ſuis non proſperabitur*. Homini Regi abſque Regno, quæ proſperitas? Regiæ fortunæ nihil comparandum. Dejectus è Throno cuncta dedignatur, quæ ſunt infra regiam dignitatem. Demùm ſcribitur: *Nec erit de ſemine ejus Vir, qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultra in Juda*. Si

Zo-

Digitized by Google

Zorobabel, qui fuit Dux Hebræorum Reducum è Babylonica Captivitate, & regiis tantum ornamentis, non tamen regio jure caruit, eſſet ille Zorobabel, de quo Paralip. loco citato, falſus eſſet procul dubio in ſua Prophetia Jeremias: ſed Zorobabel, qui gentem Hebræam rexit, Filius fuit Salathielis cap. 3. lib. 1. Eſdræ verſ. 2., Filii Neri, per lineam Nathanis a Davide deſcendentis, cujus meminit Lucas in Evang. cap. 3. verſ. 27.: Non verò Jechoniæ, quem Matthæus commemorat cap. 1. verſ. 12., venientis a Davide per Salomonem. Zorobabel verò deſcriptus laudato Paralip. loco Filius fuit Phadaiæ, Filii Jechoniæ: Ille Filium habuit Reſam: Iſte autem inter octo, quos genuit Filios, quorum nomina extant in Paralippomenis lib. 1. cap. 3. verſ. 19. & 20., nullum Reſæ nomine appellatum procreavit. Ille genitus fuit, vel ante Captivitatem Babylonicam, vel ſaltem primis annis, utpote qui jam ætate maturus Populum Judaicum ab eadem ſervitute ad Patrium ſolum reduxit: Iſte diù poſt captivitatem Babylonicam in vitam introivit: Salathiel namque Pater ejus in captivitate fuit acquiſitus. Ille tandem ſeptemdecim generationibus diſtat a Joſepho: Iſte novem dumtaxat. Cum Zorobabel igitur, qui ſedit in Solio Davidis, & poteſtatem habuit, ſit totus alius a Zorobabele Nepote Jechoniæ per Phadaiam, neque in hac parte Prophetia Jeremiæ adverſatur cap. 3. lib. 1. Paralip., aut ulli ex Divinis Scripturis. Sed de hoc iterum luculentiùs in novo Teſtamento. Hanc Tractationem Jeremiæ jam claudebamus, cum ſubita vox ad aures pervenit: Nùm de Barucho Scriba Jeremiæ nihil dicendum? Etiam de ipſo aliqua breviter, ſtrictimque ſtatuamus oportet. Iſtum itaque nobiliſſimâ ortum Familiâ, ſed humillimum Virum, Libri Cognominis Authorem opinamur, licet contrarium ſenſiſſe videantur Euſebius, ac Theodoretus: Clementi verò Alexandrino, Hilario, Baſilio, Nazianzeno, Ambroſio placuerit eas ſententias, quas ſcriptis ſuis inſeruerunt, ex Prophetia Baruchi deprомptas, Jeremiæ nomine inſignire: Diſcedimus enim a Patribus; ut Patribus, Eccleſiaſticiſque magni nominis Interpretibus accedamus, nimirum Athanaſio quæſt. 36. ad Antiochum Epiſt. de Nicæna Synodo, & ſermone tertio contra Arianos, Hieronymo, Cyrillo Alexandrino, Nicolao de Lyra, Dionyſio Chartuſiano, Tirino, &c., ad hos autem potiùs quam ad illos impellimur a ratione: Nam Prophetia, quam fœtum Baruchi aſſerimus, ſcripta ab eodem fuit in Babylonica Urbe, in anno quinto, in die ſeptima, in tempore, quo cœperunt Chaldæi Jeruſalem, quo procul dubio tempore viam univerſæ carnis ingreſſus fuerat Jeremias.

XXVI. *Eze-*

Digitized by Google

XXVI.

Ezechiel Author Prophetiæ Cognominis.

OPtimos quoſcumque Viros a ſceleratis, ſuæ præſertim gentis hominibus, malis onerari ſolitos, non eſt qui neſciat. Iſaias cujus mandato ſectus? Manaſſe Hebræorum Regis, & Generi. A quibus lapidibus obrutus Jeremias? Ab Ægyptiis, inter quos vivebat? Minimè. A popularibus ſuis Hebræis. *Inimici hominis domeſtici ejus* Mich. cap. 7. v. 6. Etiam Ezechiel Buzzi Sacerdotis Filius, de quo acturi ſumus, non victoris Chaldæi, a quo cum Jechonia deportatus fuerat, ſed Judæi cumcaptivi Magnatis gladio crudeliter cecidit, poſt editas ab anno ætatis ſuæ 30. ad quinquageſimum duas & viginti Prophetias, haud multa quidem, veluti cenſet Hieronymus, eloquentia conſcriptas, ſed pulcherrimarum ſimilitudinum, & comparationum, atque profanæ eruditionis ornatu divites: Cujus Theſauri nullam partem periiſſe arbitramur: Licet enim Joſephus lib. 10. Antiq. cap. 6. & ex Joſepho Pſeudo Athanaſius in Synopſi, duos ab Ezechiele exaratos libros Prophetiarum aſſeverent, non ideo de ſententia movemur, quia fortè Joſephi Ævo dicti duo Libri, duæ erant partes Voluminis, quo nunc utimur, quarum prima undequadraginta prioribus capitulis, altera novem poſterioribus conſtabat, veluti præclariſſima duo Societatis Jeſu Lumina, Hieronymus Prado, & Joannes Baptiſta Villapandus, cupientes Ezechielem commentariis illuſtrare ejuſdem Codicem inter ſe partiti fuerant, quamvis Prado morte præoccupatus Idib. Januarii anno Salutis *1595.*, ætatis ſuæ 48. ſcriptionem ſuam in ſola viginti ſex prima capita reliquerit, impreſſa deinde Romæ Typis Ciacconianis 1604., curante laud. Villapando, eaque ſuis Operibus adnectente, quæ Templi Jeroſolymitani, ejuſque vaſorum formam, tum eruditiſſimis explanationibus, tum elegantiſſimis quamplurimis æneis deſcriptionibus expreſſam complectuntur, atque in tres Tomos diſtincta ſunt, quemadmodum tradit Philippus Alegambius in Bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu pag. 227. Aſt ſi Ezechielis Prophetico Volumini humanarum rerum viciſſitudines pepercere, molita eſt eidem haud parcere maligna Rabbinorum ignorantia Thalmud. tract. Sabbathi: conſilia ſiquidem agitavit de ipſo è Divinarum Scripturarum Canone expungendo, quòd nonnullas Sententias, ut videbatur, contineret Moſis effatis contrarias, & impium ſcelus perpetratum fuiſſet abſque docto quodam Anania, qui oppo-

Digitized by Google

oppoſitas diſcrepantias conciliaturum, nodoſque omnes ſoluturum ſe recepit, ac re præſtitit: ex. gr. quod ait noſter Propheta cap. 10. v. 20. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem Filii. Juſtitia Juſti ſuper eum erit, & impietas Impii erit ſuper eum;* Non ne pugnare videtur cum Moſaicis, imò cum Divinis verbis Exodi c. 20. v. 5. *Ego ſum Dominus Deus tuus fortis zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in Filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me?* Profectò videtur. Paucis tamen ſolvitur nodus. Ob Patrum noxas ſæpe Filii, ob Filiorum crimina ſæpè Patres plectuntur pœnis temporariis: Æternis vero ſuppliciis ſua quiſque peccata luet. Ex his, ni fallimur, conſequitur neque Ezechielem, neque ullos Divinos Codices aut rejiciendos, aut minori in pretio habendos, quòd aliquando nonnulla contineant, quæ inter ſe digladiari quodammodò videntur: ſed omnem conciliatricem tunc operam impendendam, & factâ collatione ejusdem Scripturæ cum eadem Scriptura, auditiſque Patrum Sententiis, atque Pontificum, Conciliorumque oraculis, repugnantia ad concordiam adducenda: Quamobrem fuſtuarium meruerunt dicti Rabbini, juſtam temeritatis eorum pœnam. Aſt nondum finis Belli adverſus Ezechielis ſcripta. Mancum aliqui volunt ejuſdem Prophetarum Volumen, Spinoſiſtæ videlicet, & fruſtra ſe in eodem quærere deplorant prædictionem factam Sedeciæ, de Babylone ab ipſo non videnda, quam refert Joſephus cap. 10. Libri 10. Antiquitatum: Alii, nempé Thalmudiſtæ cap. 1. Babæ-Bathræ, contendunt ab eodem nullatenus, ſed a Synagoga Magna exaratum, quod Chaldæam ipſe incoleret, *& futurorum præſenſio tradita non ſit, ut extra Terram Sanctam ſcriberetur*. Verùm quam hæc parvi momenti! quam levia! quam futilia! Sed primò contra Spinoſæ Aſſeclas. Non potuit ergo Ezechiel, vel per Nuncium, vel per Epiſtolam Sedeciæ ſignificare Babylonem ab ipſo non conſpiciendam? Num ſcriptis mandatæ in eorum Libris omnes Prophetarum prædictiones? Revera Sedecias non conſpexit Babylonem, quamvis completa in ipſo fuerit Prophetia ejuſdem Ezechielis cap. 17. v. 12. *Ecce venit Rex Babylonis in Jeruſalem, & aſſumet Regem, & Principes ejus, & adducet eos ad ſemetipſum in Babylonem*. Cur non conſpexit? Quia Nabuchodonoſor Aſſyrius Rex locutus eſt in Reblatha cum eo judicium, atque Lictorum, Tortorumque ſuorum manibus *oculos ejus effodit*, priuſquam vinctum catenis duceret in Babylonem. Modò adverſus Thalmudiſtas. Extra Terram Sanctam deſcribi Prophetiæ nequibant? Ubi Jeremias,

remias, ubi Daniel, cum præſenſiones ſuas literis conſignarunt? Ille partem ipſarum in Ægypto exaravit, hic in Chaldæa omnes. Si etenim ſpiritus ubi vult ſpirat; Quid eſt cauſsæ, cur a ſpiritu in mortalium animos immiſſa non potuerint, ubi vellet ſcribi, ſed certo quodam ac definito loco literis tradi deberent? Meræ Nugæ Rabbinicæ. Non inficiamur tamen Synagogæ Magnæ Magiſtros ſuo ipſum nitori reſtituiſſe. Sed a more noſtro minime diſcedamus. I. Vera ſunt illa hujus noſtri Prophetæ verba, quæ jam retulimus: *Filius non portabit iniquitatem Patris* dummodò intelligantur, veluti jam dictum eſt, de ſuppliciis æternis: Et ideò cenſemus Filium ex adulterio Davidis Bethſabeæ natum, licet ſeptimum tantum vitæ diem, non autem octavum attigerit, circumciſionis remedio non caruiſſe: Cum etenim Mortem ipſius ſolâ Patris culpâ a Deo mulctata pepererit, *Quoniam*, inquit Nathan ad Davidem, *blaſphemare feciſti inimicos Domini*, *propter verbum hoc*, *Filius qui natus eſt tibi morte morietur*. Si ante Circumciſionem juſſus fuiſſet de vitâ egredi, non temporaria dumtaxat pœna Deus in Puero Infante puniiſſet paterna flagitiâ, ſed perpetuâ, & ſempiternâ: Quia Circumciſio, quemadmodum eſt apertum teſtimonium Bedæ ſuper Lucæ ſecundum Caput, *idem Salutiferæ curationis auxilium in lege contra Peccati Originalis vulnus agebat*, *quod Baptiſmus agere revelatæ gratiæ tempore conſueverat*. Et Peccatum Originale, ut aſſerit Innocentius in cap. *Majores* extra de Baptiſmo, ſicut per Baptiſmum, ita per Circumciſionem remittebatur: Quamobrem ſi quis incircumciſus decederet, vel immortalem Inferni ignem, ut placet Auguſtino, aliiſque doctiſſimis Eccleſiæ Patribus, vel ſaltem viſionis beatificæ æternam privationem, veluti nonnulli mitioris ingenii, utinam, & juſtioris judicii, Doctores arbitrantur, pati debebat: Ridenda namque nobis videtur arundinea illa mortuorum Parvulorum Circumciſio priuſquam in ſepulcro condantur, cujus mentionem facit Rabbinus Leo Modena Hiſtoriæ Hebraicorum Rituum part. 4. cap. 8. pag. 105. & ſeqq. Aſt Deus Abrahamum alloquens cap. 16. Geneſis v. 12. *Infans*, ait, *octo dierum circumcidetur in vobis*, *&* *Levitici* cap. 12. cum Moyſe ſermonem habens ita præcipit v. 3. *Die octavo circumcidetur Infantulus*. Quid? Iſta ne octo dierum determinatione vetabantur Hebræi in promptiſſimo damnationis Parvulorum ſuorum periculo eiſdem ſubvenire? Non putamus: ſed probabilitate magnâ affirmare poſſe opinamur, Legem contra eos latam, qui nulla urgente neceſſitate differre ad aliud tempus audebant Puerorum Circumciſionem, minimè vero ad illos, qui alicujus ex Infantulis ſuis jam in ſempiternas flammas ca-

F ſuri

ſuri remedium circumciſionis anticiparet. Præterea volunt, & jure volunt Judæi Magiſtri incomodam, vel etiam tenuem Pueri valetudinem, ſive aliam alicujus momenti cauſſam ſatis fuiſſe, ut Circumciſionis tempus produceretur, Leo Mod. loc. cit. pag. 102. Cur itaque contrahere illud, breviuſque licuiſſe facere in tanto præſertim diſcrimine haud quaquam aſſeverabimus. Fortè neglexit David, quòd in ea eſſet ſententia, quam deinde poſt viginti, & octo fermè Secula in Orbem invexerunt Calviniſtæ, ſtatuentes anno 1589. quinto Idus Martii, ut refert Jungius de Doctrina, & Moribus Evangelicorum cap. 17., ac in Synodo Ulnenſi publico Decreto ſuis præcipientes *ne quis parvulos ex illegitimo thoro procreatos*, quoniam æternæ perditioni, ac damnationi obnoxii erant, *baptizare auderet?* Avertat Deus hanc a nobis de Sapientiſſimo, ac pœnitente Rege ſuſpicionem. Sciebat etiam ante Apoſtolum Petrum, Deum non eſſe perſonarum acceptorem. Act. Apoſt. cap. 10. v. 34. Sciebat Jephtem fortiſſimum Iſraelitarum Ducem, ac Judicem ex muliere Meretrice natum, nec tamen, ni fallimur, inter damnatos æternis ignibus recenſebat. A Davide audita igitur per os Nathanis Divina in Puerum prolata interitus Sententia, eum curaſſe arbitramur, ut quem lacrymis temporariæ morti eripere non poterat, Circumciſionis auxilio ſubduceret ab æterna. II. Oleum, & operam perdidit Calvinus, quanto labore poterat contendens ab hac Divinâ hominibus per Ezechielem factâ promiſſione cap. 36. v. 26. *Auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum*, eruere dogma iſtud, nempe, Deum in nobis quidquid boni a nobis effluit, operari abſque nobis, veluti ſaxum in recipienda pulcherrima aliqua forma, Junonis ex. gr., aut Veneris, nihil agit, ſed Artificis manum dumtaxat patitur. Jam enim paraverat idem Ezechiel cap. 18. v. 31. Romanæ Catholicæ Eccleſiæ Militibus arma, quibus ipſum retundere haud multo negotio valerent. Audiat Calvinus: Audiant ipſius Aſſeclæ: Audiant denique omnes humanæ dignitatis hoſtes. *Projicite*, inquit Propheta Sanctiſſimus, *a vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum.* Operatur itaque aliquid Deus in Peccatoribus ad pœnitentiam inducendis; *Afferam cor lapideum*: Operantur aliquid & homines *Projicite omnes prævaricationes veſtras, facite vobis cor novum*: Primus gratiam amantiſſimus hominum Deus ponit: Deo ſe adiungit deinde homo, utiturque gratiâ, & per iſtam gratiæ, & liberi arbitrii conſpirationem cor lapideum, in cor carneum vertitur: Verùm non unus eſt locus in Scripturâ Sacrâ, e quo, veluti ex armamentario, extrahi poſ-

poſſint tela, quibus Calviniana propoſitio profligetur. Quid illa verba Pſalmi 50. v. 12. *Cor mundum crea in me Deus*, quæ abſque Deo humani cordis purgationem non poſſe obtineri ſignificant? Ac alia Pſalmi 94. v. 8. *Hodie ſi vocem ejus audieritis nolite obdurare corda veſtra*, quæ manifeſtè demonſtrant facultatem eſſe homini Deum e cordis ſui purgatione per ſummam injuriam expellere? Num dicta a Deo per ironiam, & ut illuderet miſeras Mortalium mentes? Soli Calvinus, & Beza impudentiſſimi hominum hæc potuerunt eructare. Obſtrepant itaque quantum poſſunt, & quantum volunt Ethero-doxi. Veritas Catholica eſt; cor lapideum non poſſe fieri cor carneum, niſi & Deus per ſuam gratiam, & voluntas per ſuum conſenſum jungantur.

XXVII.

Daniel Author Prophetiæ Cognominis, Hiſtoriarum Suſannæ, & Beli, ac Draconis, non autem Cantici Benedicite, ſed Ananias, Miſael, & Azarias.

DAnielem e Regio Juda ſanguine prognatum, Sabaæ Filium, adhuc puerum anno 3. Regni Joakimi, cum ipſo per Nabuchodonoſorem captivum abductum, & in Aula Balthaſaris, Darii Medi, ac Cyri ſummo illo munere functum, quod deinde Romani Præfectum Prætorii nuncuparunt, Prophetæ dignitate fraudare conatur omnium prope Judæorum conſentiens opinio: Sed nos veriorem Catholicorum Patrum, imo Jeſu Chriſti Matthæi cap. 24. verſ. 15. ſententiam ſequentes inter Prophetas, & quidem, ut ajunt, Majores numeramus: *Libri namque*, ut verbis utamur Joſephi, Antiq. lib. 10. cap. 12., quos conſcriptos reliquit, certam fidem faciunt *quod Deus cum eo colloquia miſcuerit:* Non ſolùm enim futura prædicit, quemadmodum alii Prophetæ, verùm etiam tempus, quo futura eſſent, præfiniit. Prophetiarum autem Volumen, cui nomen ejus præfixit Vulgata noſtra, obſtrepentibus licet & reluctantibus Thalmudiſtis, ab ipſo, minimè verò a Synagoga Magna, literis mandatum affirmamus, chachinnis dignam cenſentes impii Porphyrii aſſertionem, qui

Facendo contra 'l vero arme i ſofiſmi.

Regis Antiochi Epiphanis tempore, hoc eſt circa annum M. 3835. P. I. 4545. conſcriptum finxit libro duodecimo ex quindecim, qui-

 bus

Digitized by Google

bus Chriſtianam Religionem fruſtra oppugnavit, confutantibus luculentiſſimè ipſius ratiunculas Methodio, Euſebio, & Apollinario, quorum tamen lucubrationes diuturnitate temporis conſumptæ ſunt. Præterea Orationem Azariæ Hymnum trium Puerorum, Suſannæ, ac Beli, & Draconis Hiſtorias, tanquam partes laud. Codicis veneramur. Aſt numquid Oratio Azariæ, & Hymnus trium Puerorum, ſcriptiones Danielis? Minimè. Partes diximus Libri, qui ejus Prophetias complectitur, non autem ipſius Scriptiones: Ut verò primum haud falſitate laboret ſufficere opinamur, ſi eidem, quamvis natæ ab alieno calamo, inſertæ fuerint, quemadmodum inficiari neminem ſcimus Epiſtolas, Pacta, aliaque monumenta, quæ ab Hiſtoricis in ſuis commentariis clauduntur rectè membra dictorum Commentariorum appellari, licet ab ipſis non prodierint. Sed cujus tandem Canticum trium Puerorum? Non incerti authoris, ac poſtea compoſitum, ut vult Polycronius: Canonicus enim Scriptor Daniel, coëvus eorumdem trium Puerorum narrat ab ipſis decantatum, & a veritate procul dubio deficeret, ſi ab aliquo poſteriori Authore fuiſſet editum. Nec Daniele, ipſiſque tribus Pueris antiquiùs, & a Judæis cantari ſolitum, veluti placet Sanctio, quia ſi memoriæ olim traditum recitaſſent tres Martyres illi Pueri, cur rem notatu dignam exiſtimaſſet Divinus Scriptor, cum ait, cap. 3. v. 51. *Tunc hi tres, quaſi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in Fornace?* An ne novum plures uno ore pronunciare quod memoria jam tenent? An ne ſpecialem notationem meretur? Nos cum Lanſelio fœtum eſſe ipſorummet trium Puerorum putamus, idque nobis ſuadent, tum beneficii magnitudo, quò tunc a liberatore Deo afficiebantur, tum ſingularis eorum in Deum pietas, & nobilis gratuſque animus, & ſcientia inſignis, quibus præditi erant. Alias etiam rationes expiſcari poſſemus è Patrum ſcriptis, præſertim è Sermone D. Joannis Chryſoſtomi de tribus Pueris: Non permittimur tamen quia *Concilium malignantium obſedit nos, & Filii Matris noſtræ contra nos pugnaverunt*. Sed de Hiſtoria Suſannæ aliter loquendum: Non etenim de hac proferre licet eſſe alterius Scriptoris laciniam Danielis Prophetiæ affictam, vel quia non ejuſdem ſtyli, vel quia nullius veritatis, ſed tenemur aſſerere, & partem eſſe Prophetiæ Danielis, & inſuper ex ipſius Danielis calamo fluxiſſe: Styli namque diverſitatem, quam Africanus objecit quondam Origeni, hic tantus Doctor eidem reſpondens, ſe non agnoſcere faſſus eſt: *Præter hæc*, inquit, *dixiſti etiam dictionis ſtylum differre, quod mihi quidem nequaquam eſt viſum:* Integræ autem veritatis ornamento gaudere ex iis, quæ infra decer-

decernemus, non probabiliter tantum, ſed certò conſtabit. De Narratione everſi Templi, ac Idoli Bel, occiſique Draconis, eadem ac de Hiſtoria Suſannæ omninò ſentimus, exaratam nimirum fuiſſe per eundem Danielem, non verò per Abacuch Filium Juda, de Tribu Levi, quemadmodum contendunt Euſebius, & junior Apollinarius, fundamentum aſſertionis ſuæ ponentes in titulo Hiſtoriæ dicti Belis, quod ita legitur in Verſione Septuaginta, & duobus Senibus adſcripta: *Prophetia Abacuch Filii Juda de Tribu Levi:* Minoris quippe authoritatis eſt allatus titulus, quam ſufficiat, ad deturbandum Danielem è poſſeſſione ſcriptionis laudatæ Hiſtoriæ, in quam a viris doctiſſimis, imò ab Eccleſiâ Catholicâ, quæ ob hanc fortè cauſſam pro Translatione Senum, Theodotionis Translationem accepit, multis ab hinc ſæculis miſſus fuit. Hunc Danielis Librum Chaldaicis primum Literis ab ipſomet Daniele mandatum, deinde pubblicâ authoritate in Hebraicam Linguam a Judæis Reducibus, demum in Græcam tum ab antiquiore aliquo Interprete, tum ab Aquila, a Theodotione ac a Symmacho firmiſſime defendendum tenemus: atque inde conjicimus eveniſſe, ut bellis, incendiis, deportationibuſque Judæa Gente vaſtata, ea capita, quæ Hebraicè non habemus, perierint, ac Librarii, qui recomponendo operi vacarunt, ex Chaldaico, & Græco Exemplari ſuppleverint. Hæc de genuinis Danielis lucubrationibus. Si Deus tandem aliquando nobis otia fecerit, de iis, quæ fuerunt illi falsò attributæ, diſputabimus in Opere, quod meditamur, jamque ex parte collegimus de Libris Apocryphis, ac utilitate, ipſorumque uſu. Cyro Monarchiam Orientis regente defunctum Danielem non Babylone, nec Hieroſolymis, ſed Suſis, dum toti Regioni ſummâ cum authoritate imperaret, autumamus: ſi verò fides eſt Abulfaragio Hiſtor. Orient. Dyn. 3. in ejuſdem Regiæ Urbis elegantiſſimo ædificio etiam ſepultum. Nunc ad Suſannam redeamus. I. Suſannæ factum ſubſecuta ſtatim non eſt mors Aſtyagis Regis, nec eodem evenit tempore, ſed multos poſt annos, licet narrationi eventus caſtiſſimæ, atque fortiſſimæ Matronæ adnectatur in Vulgata, quæ loco ſuo movit Suſannam, a primo ſcilicet Capite Libri Danielis, ubi eam fortè locaverat ipſemet Daniel, certe græca Verſio illorum, qui Septuaginta vocantur, rejecit in decimumtertium, quòd Hebraicis Literis tradita ejuſdem Hiſtoria amplius non reperiretur: Quamobrem nulla nos neceſſitas adigit, ut Danielem quippe qui captivus abductus fuit cum Joakimo Rege Juda, ætatis haud florentis, juniorem que Puerum, ut Ille in laud. Hiſtoria ſe pingit, ſed 80., annos ad minus natum, ſenioque confectum fuiſſe dicamus, cum impudentiſſimorum

Digitized by Google

Judicum inſidias retexit, dignoſque morte pronunciavit. II. In nullo ex ſacris Authoribus, in nullo ex Prophanis legimus a Nabuchodonoſore, cum, vaſtato Jeroſolymorum Regno, juſſit Hebræos ſolum vertere, eoſdem opibus ſuis ſpoliaſſe: Et ideò non eſt cur aliqui falſitatis notam inurant Hiſtoriæ Suſannæ, quod nec veri ſaltem ſervetur in illa ſimilitudo, cum Joakim ejuſdem Maritus ſplendidè, ac magnificè in Regia Babylonis Urbe vixiſſe dicitur. III. Illa Paronomaſia, quæ reperitur in nominibus Græcis πρίνῳ, & χοίνῳ arborum, ſub quibus Mulieroſi ſenes ſe vidiſſe aſſeruerunt Suſannam cum adoleſcente amatore ſe commiſcentem, quia tantum in una græca Lingua eſſe poteſt, qua certè in ſcriptionibus ſuis minimè uſus eſt Daniel, labefactare non debet Hiſtoriæ noſtræ authoritatem, neque ſuſpectam reddere falſitatis: conſtat namque reperiri ſæpè in Scripturâ Sacrâ Paronomaſias, agnominationes ſcilicet, ſeu alluſiones ad ambiguam, vel ſimilem vocem, quæ ſi tollatur, & lepor perit, & quod dicitur, videri poteſt abſonum, abſurdum, & abs re: Idque ne eveniat Eccleſiaſticus Interpres defigens mentis oculos in medullam, potius quam in corticem, aliud aliquando aſſumit verbum, quam habuit in fonte. Hoc loco fortè id contigit. Num Daniel adhibere non valuit vocem aliquam, ſive Hebraicam, ſive Chaldaicam, in qua par eſſet & elegans alluſio? Num impoſſibile nullum græcum vocabulum reperiri, quod perfectè exprimat Hebraicam dictionem, cogatque Interpretem ad aliquid ſimile in ejus locum ſubſtituendum? Ex quo igitur compulſus fuerit Interpres Græcus: ut non eadem uteretur alluſione vocum, quæ fortè erat in Hebraico, vel Chaldaico Textu, quia ſervari non poterat in vocibus græcis, quæ omnino Hebraicis, vel Chaldaicis reſponderent, ſed tantum ſimili, haud ſequi videtur falſitate laborare Suſannæ hiſtoriam, ſed tantum in ea ne ſenſus læderetur, mutatam dictorum vocabulorum annominationem: Et hoc ſentiunt ex Patribus Origenes Epiſt. ad Julium Afric. Hieronymus Præfat. in Dan. Ex recentioribus verò Eccleſiaſticis Scriptoribus Julius Ruggierius Opuſc. de Libris Canonicis cap. 25. pag. 115. & ſeqq. Gaſpar Sanctius Comment. in Dan., Nierembergius de Orig. Sacr. Script. lib. 10. cap. 28. Dupinius in Proleg. Sacr. Script. part. 1. cap. 3. §. 21. Graveſonius de Script. Sacr. part. 2. §. 2. pag. 208. IV. Hebræos in captivitate Babylonica jus habuiſſe necis ſuorum defendimus: quoniam Deus, qui propter multa, & nefanda ipſorum flagitia, ſæpe illos vexandos tradidit aliarum nationum Regibus, ac Principibus, ut impleretur Jacobæum Oraculum Gen. cap. 49. v. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & Dux de fæmore ejus, do-*

nec

nec veniat qui mittendus eſt, noluit ab iſtis poteſtate privari utendi legibus eiſdem traditis, facultateque pleɛtendi eos, qui ipſas infregiſſent, ut ſummæ totius juriſdictionis ſpoliatio, certa illis, ac manifeſta foret temporis nota, quo promiſſus Meſſias in terras ingrederetur: Idque benè perſpectum habentes, qui inter Judæos de Reipublicæ ſuæ excellentia ſaniùs ſentiebant, nihil antiquius habuere, quam quoad fieri potuit ſui juris exercitium ſervare, etiam in captivitatibus gementes, etiam exterorum Principum poteſtatibus ſubjecti, quemadmodum docet Vir eruditiſſimus Benedictus Bacchinius Caſinenſis Abbas De Eccleſiaſticæ Jerarchiæ Originibus part. 1. cap. 2. num. 14. pag. 133. & ſeqq.

XXVIII.

Singuli Prophetæ Minores ſuarum Prophetiarum Authores.

IN unum Volumen compingebant Judæi duodecim Prophetas, quos minores vocamus. Noſtra vulgata ſingulis ſingulos libros aſſignat, & in ſerie illorum diſponenda Hebraicum Textum ſequens a Græca verſione, quæ Septuaginta duobus Senibus tribuitur, diverſa eſt: Iſta namque locum ſecundum Joëli, illa Amoſo tribuit, Joëli autem tertium: Hæc Jonam quintum, Micheam ſextum vult eſſe, illa Micheam tertium, ſextum vero Jonam. Nos cogente veritatis amore adverſus Bellarminum, ſcriptorem alioqui doctrinâ, dignitate, pietate clariſſimum, pro certo tuemur in neutra texenda chronologicum ordinem fuiſſe ſervatum, qui eos ſic exigit diſtributos, ut primus ſit Jonas, deinde Oſee, Amos, Joël, Micheas, Nahum, Sophonias, Habacuc, Abdias, Aggæus, Zacharias, & Malachias. De his in duas claſſes diſtinctis breviter tractaturi, a Jona exordimur. Pater Jonæ Amathi: Mater nos latet, & falluntur, qui Sareptanam Viduam, cujus Filium ſuſcitavit Elias, illi tribuunt: Tribus, decima, hoc eſt Zabulonis: Patria Geth-Opher, Oppidum a Sephori, quæ eſt Diocæſarea, non longè ſitum, minimè verò Geth Lyddæ, ſive Dioſpoleos proxima: Tempus Nativitatis fortè annus primus Imperii Joachaz Regis Iſraël; vigeſimus tertius ab aſſumpto per Joaſum Regno Juda. Initium prophetandi idem, ac initium Regni Jeroboam II., cui victoriam adverſus Syros prænunciavit Jonas lib. 4. Regum cap. 14. v. 25. & ſeq., quam Prophetiam vetuſtate ſuperare

præ-

Digitized by Google

prædictiones cunctas, tum quatuor Majorum, tum Minorum duodecim Vatum aſſeveranter affirmamus, eamdemque vel literis haud mandatam, vel edaci vetuſtati non reſtitiſſe certi ſumus. Quod modò habemus Jonæ Opus de Ninivis everſione agit propter Regis Phul nuncupati, uti vult Uſſerius in Annalibus ætate M. V. ad annum M. 3233. P. I. 3943., non autem Sardanapal, quemadmodum contendit Scaliger, ac totius populi eximiam, memorandamque pœnitentiam dilatâ uſque ad Nabuchodonoſoris Magni tempus, quo per ipſum vaſtata fuit, non etiam ante annos trecentos ab Arbace primo Medorum Rege, veluti placet Cteſiæ, aliiſque ejuſdem ſententiæ, quibus præſertim repugnat hujus noſtri Vatis Liber. Qui fieri namque poteſt, ut a dicto Principe prope deleta, tam citò, tempore nimirum prædicationis Jonæ, ad quam miſſus fuit poſt ſolos 60., vel 70. annos, opibus, civibus, deliciis omnibus floreret, tam magnâ foret, ut ad ipſam percurrendam opus eſſet itinere trium dierum, & pluſquam centum viginti millia hominum caperet, qui neſciebant *quid eſſet inter dextram, & ſiniſtram ſuam?* Obiit Jonas juxta Xyſtum Senenſem circiter annum ab Orbe condito 3240. ibidemque ſepultus fuit, ubi natus, non autem, uti dictus author tradit, in terra Saar, quæ pertinebat ad Tribum Rubeniticam. Hieronymus ait ætate ſua oſtenſum fuiſſe illius Monumentum. Habuimus in hoc Propheta illuſtre Chriſti per triduum mortui, ac deinde reſurgentis ſimulacrum, *ſicut fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus, & tribus noctibus*, inquit Matth. cap. 12. v. 40. *Sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.*

Jam ad ſecundum, hoc eſt ad Oſeam filium Beeri, non Beera, veluti opinantur Hebræi. Hic patriam ſortitus eſt Beelmeonem, Oppidum trans Jordanem in Rubenitica Tribu poſitum: Vaticinari autem aggreſſus eſt, Regnum Juda moderante Azzaria, qui cum ſceptro potitus fuerit anno 27. Jeroboami II. Regis Iſraël Regum lib. 4. cap. 5. v. 1. jure poſt Jonam ponitur, qui anno ſaltem primo hujus Regis, ſecundum vero Dupinium, ſuperſtite adhuc ipſius Patre Joaſo prædicendi initium fecit. Aſt dicit ipſemet Oſee: *Principium loquendi Domino in Oſeæ:* per os igitur Oſeæ incepit Dominus futura Populo ſuo prænunciare, deinde per alios Prophetas. Porrò hunc locum aliter intelligendum arbitramur, nempè *Iſtis verbis cœpit Dominus alloqui Oſeæ: Vade ſume tibi Uxorem fornicationis.* Poſt vaſtationem Iſraëlitico Regno, & flagella divinæ iracundiæ Judaico, niſi a ſceleribus ſuis reſipiſcerent ſub laud. Azaria, ac etiam Joathano Achazo, & Ezechia Regibus Juda denunciatam, juxta Hebræorum opi-

opinionem nonagenarius naturæ ſatisfecit, anno Creationis 3340. Quæ Xyſti Senenſis opinio ſi vera eſſet, ultra nonageſimum annum produceremus Oſeæ vitam oporteret, nempe ad annum 140., etiamſi vigintiquinque annos dumtaxat natus prophetare cœpiſſet: Nam Regni Azariæ, & prædictionum Oſeæ idem initium, illud verò cadit in annum M. 3225.

Ex Thecue Oppido, quod pertinet ad Judæ Tribum, & e Sancta Bethlemmi Urbe ſex millium intervallo abeſt, jacetque ad Jeroſolymorum Auſtrum, quemadmodum docent Euſebius, & Hieronymus de Locis Hebraicis, ac Cyrillus præfat. in Amos, largitor omnium bonorum Deus, biennio ante Terremotum, qui contigit ſecundum Eliam Dupinium in Proleg. Sacr. Script. part. 1. c. 3. §. 22. anno 24. aut 25. Oziæ Regis Juda, dignatus eſt Amoſum ruſticum hominem ad Propheticum munus vocare, quo fungens prophetiam, quam modò ejus nomine inſignitam habemus, exaravit, quamvis contrarium ſentiat Thomas Obbius in Leviathane cap. 33. ubi hæc leguntur: *Liber Amos Prophetia ipſius eſt: an tamen ab eo ſcriptus ſit non apparet*. Sine oculis fortè Obbius, & ceteri ejuſdem furfuris homines? Nequaquam: Oculis non caruit Obbius, præditi etiam ſunt oculis ejuſdem Aſſeclæ, ſed quia plus volunt ſapere, quam oportet ſapere, ſuperbiæ fumo obcæcati oculos habent, & non vident. Poterat Anglus Author legere apud Tobiam cap. 2. v. 3. & 6. *Cumque occultaſſet Corpus, manducavit panem cum luctu, & tremore memorans illum Sermonem, quem dixit Dominus per Amos Prophetam: Dies feſti veſtri convertentur in luctum:* Poterat ex ſtylo rudi, & inconcinno, atque ut verbis utamur D. Hieronymi, ex ſermonibus ac ſimilitudinibus ab arte ſua depromptis agnoſcere ſcriptionem eſſe Amoſi. Sed oleum, & operam perdimus, nec vidiſſet, ſi totum corpus oculis plenum, ut inquit Ezechiel, habuiſſet. Verùm non modo ſuam Prophetiam literis mandavit ipſemet Amos, ſed ante Joëlem mandavit, ſiquidem hic cap. 3. v. 5. utitur ſententiis jam ab Amoſo prolatis cap. 1. v. 2. Amos enim *Et dixit Dominus: Dominus de Sion rugiet, & de Jeruſalem dabit vocem ſuam*. Joël vero, *& Dominus de Sion rugiet, & de Jeruſalem dabit vocem ſuam*: & ab illo Amoſi cap. 9. v. 13. *Stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt, &c.* profluxit quod in Joële legimus cap. 3. v. 18. *Et erit in die illa: Stillabunt montes dulcedinem, &c.* Quamobrem miramur laud. Dupinium in ſerie Chronologica, quam dat citato loco Minorum Prophetarum, Joëlem Amoſo præcedere feciſſe. Ex ipſius Prophetiæ volumine quatuor eruuntur, nempe divina ultio contra

Digitized by Google

finitima Regna Hebræis infeſta: Calamitates Regnorum Iſraël, & Juda propter ipſorum avaritiam, libidines, ac idololatriam: Ecclipſes, quas primus apud Hebræos prænunciavit cap. 8. v. 9. & contigerunt: Prima anno M. 3213. P. I. 3293. 24. Junii in Feſtivitate Pentecoſtes, & fuit digitorum circiter decem: Secunda anno M. 3233. P. I. 3443. Novembris 8. in diebus Feſti Tabernaculorum, & fuit digitorum ferè 12. Tertia anno ſequenti M. 3234. P. I. 3944. Maji 5. in die Azimorum, & fuit digitorum pluſquam 11. Tandem Meſſiæ promiſſio cap. 9. v. 11. De ipſius morte ſufficiant, quæ tradit Romanum Martyrologium Prid. Kalend. Aprilis: Thecue in Palæſtina, *S. Amos Prophetæ, quem Amaſias Sacerdos, frequenter afflixit, & filius ejus Ozias vecte per tempora transfixit; qui poſtea ſemivivus in Patriam devectus ibidem expiravit, ſepultuſque eſt cum patribus ſuis.* Addit annum Xyſtus Senenſis, nempe 3110., ſed error eſt manifeſtus.

Haud multum ab Amoſo diſtare credimus Joëlem, Filium Pethuelis, cujus Patria, uti divinat Eruditiſſimus Huetius, Beelmeon Oppidum trans Jordanem in Tribu Rubenitica poſitum. De tempore ipſius vaticinationum nihil certum: Alii ponunt ſub Manaſſe Regno, inter quos R. David Ganz, & apud ipſum nonnulli alii ex Hebræis Doctoribus: Alii Abrabanielem ſequentes ſtatuunt Oſeæ tempore. Nos iſtas opinationes tanquam parum fundatas haud multi facimus, ſed in eam deſcendimus ſententiam, quæ putat Joëlem Vaticinia ſua fudiſſe poſt captivitatem decem Tribuum, atque in illam impulſi fuimus, tum ex illis verbis capitis 3. *Ecce congregabo omnes gentes, & deducam illas in Valle Joſaphat, & diſceptabo cum eis ibi ſuper populo meo, & hæreditate mea Iſraël, quos diſperſerunt in nationibus, & terram meam diviſerunt*, tum quia apud iſtum Prophetam de Iſraëlitico Regno, niſi everſo, ſiletur, ita ut Hieronymum in Joël cap. 1. *Omne aſſerat quod dicit, ad Tribum Juda, & ad Jeruſalem pertinere credendum ſit, & nullam omninò de Iſraëlitis mentionem fieri*. Eiſdem itaque prædixit quanta mala propter ea, quæ perpetrabant, multa, & gravia flagitia, paſſuræ eſſent, atque de Regno Chriſti, & de miſſione Spiritus Sancti haud pauca præmonſtravit. Viam univerſæ Carnis ingreſſus non anno M. 3050. qui ejus morti aſſignatur a Xyſto Senenſi, ſed poſt 2283. quo Salmanaſar, expugnata Samaria, deportavit Iſraëlitas, decoro ſepulcro in Bether donatus fuit.

Perperam Chaldæus Paraphraſtes, & Druſius eripuere Viculo Moraſthi, poſito juxta Eleutropolim, Palæſtinæ Urbem, Prophetam Micheam: ille reddens pro Moraſti Mareſam, quam extitiſſe, Evo D. Hieronymi, ſola rudera teſtabantur, hic addubitans, non Moraſthi

raſthi idem ſit locus, ac Moreſeth Geth, cujus ſit mentio cap. 1. v. 14. hujus noſtri Prophetæ: Cum etenim tam Euſebius quam Hieronymus ipſi Patriam attribuant Moraſthi, non autem Mareſam, vel Moreſeth Geth, ipſis par eſt ut credamus, quippequi in explorando Locorum Sanctorum ſitu diuturnam operam impenderunt, & ſunt oculati Teſtes. Fuit itaque Micheas Moraſthites è Tribu Ephraim, & ad Vaticinia edenda a Numine impulſus eſt in diebus Joatham, Achaz, & Ezechiæ Regum Juda, a quorum Regimine impletur ſpatium annorum 61., ſcilicet ſexdecim pro unoquoque duorum priorum, viginti, & novem poſtremi, ab anno nimirum M. 3246. ad 3306. In ſuarum prædictionum Codice, primò acriter perſtringit Judæorum ſcelera, deinde Chaldaicam ſævitiam, catenaſque Babylonicas pingit, poſteà promittit lætum e captivitate exitum, demùm Meſſiæ adventum, ipſiuſque Nativitatis locum prænunciat cap. 5. v. 2. quemadmodum ſtrenuè probat Graveſonius, in erudito Tractatu de Myſteriis, & annis Chriſti, in Paragrapho ſecundo diſſertationis ſeptimæ: Et poſt hæc omnia mors: Præcipitatum namque Micheam, quòd ipſius carperet flagitia, a Joramo Filio Acabi Regis Juda ſcribit Pſeudo Epiphanius. Aſt quot verba, tot Sphalmata. Num Acabus, & Filius ejus Joramus Reges Juda? Reges fuerunt Iſraël. Num Joramus, & Micheas coævi? Chronologi negant, & aſtruunt hunc prophetandi, & vivendi finem feciſſe anno M., ut diximus, 3306. P. I. 4016. Illum verò regnandi pariter, & vivendi anno M. 3120. P. I. 3830. circa Menſis tertii diem decimam, hoc eſt mortem Jorami præceſſiſſe obitum Micheæ annis 186. Et tamen ineptum illum authorem, ſecutus eſt Xyſtus Senenſis, eandemque in foveam cecidit. Nos judicamus Micheam in pace quieviſſe, & judicare omnes Catholici nobiſcum debent: Si etenim violentâ morte è vita exceſſiſſet, minimè Jeremias cap. 26. v. 18. & 19. ſcripſiſſet *Micheas de Moraſthi fuit Propheta in diebus Ezechiæ Regis Juda, & ait ad omnem Populum Juda, dicens: Hæc dicit Dominus Exercituum: Sion quaſi Ager arabitur: Et Jeruſalem in acervum lapidum erit: & Mons Domus in excelſa ſilvarum: Numquid morte condemnavit eum Ezechias Rex Juda, & omnis Juda?* Qui terræ Sanctæ loca deſcribunt, ſepulcrum ipſius ponunt in Oliveti Montis deſcenſu, ſed, Teſte Hieronymo, in Patria ſepultus fuit: locus tamen Monumenti in Eccleſiam mutatus, quam Sancta Paula, veluti ipſe ait Epiſt. 27. apud Baronium in Notationibus ad Martyrologium Romanum, Religionis ergo inviſit. Ejus Corpus inde translatum narrat Nicephorus, Tumulumque nuncupatum Regionis vocabulo Nephſameemana. Sed nunc ad alia, nimirum ad Nahum.

Per-

Perturbat Dupinius Canonem ſuum Chronologicum Minorum Prophetarum ſtatuens Nahumum vaticinari aggreſſum fuiſſe ante obſeſſam a Senacheribo Jeroſolymorum Urbem, nimirum ante annum Mundi 3244., qui fuit Regni Ezechiæ 18., ac deindè eumdem poſt Sophoniam locans, qui ut diximus, prophetare dumtaxat cœpit Joſia in Davidis Solio jam ſedente, nempe circa annum M. 3363.. Oriundus fuit hic noſter Vates Elceſi Galilææ Viculo in Tribu Simeonis, quæ nobis D. Hieronymi, in Terræ Sanctæ notitia inſtructiſſimi, ſententia magis arridet, quam illa Pſeudo Epiphanii, ac Pſeudo Dorothæi, qui illum, ab Elceſi quidem prodiiſſe tradunt, ſed loco poſito trans Jordanem, verſus Begabar, ſive melius, uti ſcribit Dorothæus, & confirmat Origenes, trans Bethabaram celebrem propter Baptiſma, quo Joannes in culparum emendationem homines abluebat. Duobus poſterioribus Capitibus Ninives Principis Urbis, & Aſſyriaci Regni excidium præmonſtravit, quod neque Arbacis armis, veluti Cteſias putavit, neque potentia Principis illius, qui Chaldæis imperabat paulò poſt Mortem Senacheribi, quemadmodum Theodoretus, neque bellicis Cyri Viribus, uti Cyrillus, ſed Ciaxaris, & Nabuchodonoſoris ſummis conatibus, contigiſſe judicamus, ad fabulas amandantes citatos Commentitios Authores, qui partim ſubmerſam aqua, partim conſumptam flammis, nulla hominum operâ, periiſſe ſcripſerunt, idque a noſtro Propheta hauſiſſe profeſſi ſunt. Sub Regno Manaſſe Nahumum vita deceſſiſſe anno Mundi 3240., eique Sepulcrum in Begabar decretum narrat Xyſtus Senenſis: Aſt in annis mortis ejusdem decernendis erravit: Dicto ſiquidem tempore nondum natus erat Manaſſes, qui Ezechiæ Patri ſucceſſit anno Mundi 3306., ſed neque Ezechias, qui circa annum Mundi 3258. in vitam introivit.

Sophonias, ut ipſemet ait, Filius fuit Chuſi, Filii Godoliæ, Filii Amariæ, Filii Ezechiæ: quamobrem non modò haud ignobilem ſecundum carnem cum Cyrillo, ſed regia è ſtirpe ortum, Ezechiæ ſcilicet Jeroſolymorum Regis Abnepotem R. Aben-Ezra, Authore inter Hebræos non futili, judicamus, atque Tribui Juda, non antem Simeonis, adſcribimus, cui eumdem aſſignat Pſeudo Epiphanius, ipſi pariter Patriam Sarabatha Montem attribuens. Ante annum Joſiæ Regis Juda 8., hoc eſt ante annum 3370. Prophetiæ ipſius audiri cœpere, ſeverioribus objurgationibus junctæ adverſus Judæos Idololatriæ crimine, aliiſque fœdiſſimis ſceleribus, iniuſtitia, rapinis, mendaciis, luxu inquinatos: Anno enim dumtaxat laudato Adoleſcentulus Rex quærere cœpit Deum Davidis Patris ſui, ac Templum ipſiuſ-

ipſiuſque Cultum, deſtructis abominationibus, reſtaurare: quæ debebant res Thomæ Obbio vetare, ne in eam amentiſſimam ſententiam veniret, qua aſſerere auſus eſt, Sophoniam eſſe Prophetarum omnium antiquiſſimum. Clauſit noſter Propheta in nuce Illiada, nempe in Libello ſuorum Vaticiniorum infinita propè mala, quæ per vindicem Divinæ leſæ Majeſtatis Nabuchodonoſorem paſſurum erat Judaicum Regnum, è qua infeliciſſima Tragœdia, ne nimiùm proſterneretur, ex hac vita, priùſquam in Scenam prodiret, raptus eſt anno ut putamus M. 3394., vel circiter: Poſt laudati enim Joſiæ Mortem de ipſo in Sacris Voluminibus altum ſilentium.

Poſt Jeroſolymorum vaſtationem, Judaicique Regni ruinam prophetaſſe Habacucum opinari videtur Xyſtus Senenſis Bib. Sanctæ lib. 1. pag. 30. Ut verum fateamur non debuiſſet homo Sacrarum Literarum peritiſſimus in hoc errare: haud enim credere poſſumus, nunquam ab ipſo lecta verba illa cap. 1. a v. 6. ad 10. *Ecce ego ſuſcitabo Chaldæos gentem amaram, & velocem, &c. Et congregabit quaſi arenam captivitatem.* Ante Babylonicam igitur captivitatem vaticinationes ſuas edidit, ad Regnum Juda per Nachaonem Regem Ægypti evecto Eliacimo Joſiæ filio: Noſter hic Propheta, alius procul dubio, licet contrarium ſentiat Hieronymus, ac omnino ab illo diverſus, qui cibaria ad Danielem inter Leones jacentem ab Angelo vectus detulit, & ex Agro Bethſecher ex Tribu Simeonio, minime verò ex Urbe Ceila, & ex Tribu Levitica, proveniens, cujus licet Matrem ignoremus, abſit tamen, ut ineptiamus cum Hebræis, qui ſomniarunt ab illa Sunamitide natum, cujus Filium Eliſeus vitæ reddidit: ex hac ſiquidem vita migraverat Eliſeus ſecundum Petavium anno 3884. ducentis videlicet, & viginti annis ante vaticinantem Habachuchum, quem anno primo Eliacimi, hoc eſt P. I. 4014. eo munere fungi aggreſſum fuiſſe indicavimus. In Regum Chaldæorum vitia, ebrietatem, crapulam, violentiam, omicidia, Idololatriam vehementiùs invehitur, & multiplex *væ* Nabuchodonoſori, ejuſque ſucceſſoribus intentat, ac florentiſſimæ tandem Monarchiæ ruinam prænunciat, quibus graviſſimis malis, ne præſens foret mors effecit. Tumulatum aſſeverat Xyſtus Senenſis in eadem terra Bethſacher, è qua proceſſerat: quod namque Habachuchi ſepulcrum Ceilæ monſtratum ætate ſua affirmat Euſebius in Topicis oſſa veneranda, atque ſanctiſſima claudebat illius Habachuchi; quem Danielis nominabimus.

Duos in ſacris Codicibus Abdias reperimus: Primum Diſpenſatorem Domus Acabi Regis Iſraël lib. 3. Reg. cap. 18. Alterum de Filiis Merari, qui erat ex inſtauratoribus Domus Domini a Joſia

Rege

Rege Juda adhibitis Paralip. lib. 2. cap. 24. Illum fuiſſe Prophetam, de cujus ſcriptione modò agitur, nos aſſeverare non ſinit Aben-Ezra, qui in cap. cit. Reg. *Si ille*, inquit, nimirum Abdias, *qui erat Diſpenſator Regiæ Domus Acab fuiſſet ille Propheta, quare vocaret eum Scriptura timentem Deum, & non potius Prophetam? Major quippe eſt Prophetæ dignitas*. Abdiæ igitur recentiori gloriam tribuimus Scriptionis Prophetici Voluminis, quod Abdiæ nomine ornatur, & Tribus Leviticæ germen agnoſcimus. In hanc ſententiam trahimur ab illis verbis, quibus noſter Propheta alloquitur Edom: *In die, cum ſtares adverſus eum* (hoc eſt populum Hebræum) *quando capiebant alieni exercitum ejus, & extranei ingrediebantur portas ejus, & ſuper Jeruſalem mittebant ſortes: Tu quoque eras tanquam unus ex eis*, quæ Hieronymus, & alii ex recentioribus, inter quos Uſſerius in Annalibus ætate M. V. ad annum P. I. 4127. referunt ad incurſionem Chaldæorum, & Jeroſolymitanum excidium obiectum Idumæis immaniſſimi, cruentique adverſus Hebræos belli per Nabuchodonoſorem geſti participibus, ſociis, & adiutoribus, ac ideò pari pœna tandem aliquando ab irato Numine plectendis: in qua clade prædicenda totus eſt Abdias in Volumine ab ipſo exarato. Quis dixerit vetuſtiorem illum Abdiam Acabi, uſque ad everſam Jeruſalem, gentemque Judaicam exterminatam in vita commoratum, ab anno videlicet P. I. 3797. Acabi primo ad 4126. migrationis Juda in Terra non ſua pariter primum, ut poſſet de tanta clade, tanquam de re præterita, ſermonem habere? Jure itaque ac merito Prophetiam Abdiæ nomine inſignitam juniori Abdiæ tribuimus, cujus mortis annum ſtatuere, divinare omninò foret. Verùm ſi dormitionis tempus cognitum non habemus, de loco ſaltem ipſius Sepulcri certiores nos fecit D. Hieronymus Epiſt. 27. ad Euſtochium, ubi aſſerit illud ætate ſua cum Mauſoleo Eliſei Prophetæ in Sebaſtis Urbe, quæ olim fuit Samaria, reperiri.

XXIX. *Ex*

Digitized by Google

XXIX.

Ex duodecim Prophetis Minoribus, tres qui vaticinati ſunt poſt ſolutam captivitatem Babylonicam, nempe Aggæus, Zacharias, & Malachias.

SI quem ex Dariis Perſarum Regibus initio ſuæ Prophetiæ Aggæus nominet minimè ignoremus, facilè ſaltem eſſet decernere, quo tempore Aggæus Vir Sanctiſſimus, cujus Pater, Mater, Tribus, Locus nativitatis nos latet, ſcriptionem ſuam ediderit: ſed utinam alia ita aſſequi diligentia poſſemus, uti Darium, ſub quo ipſe vaticinia ſua fudiſſe teſtatur, internoſcemus, & digito prope commoſtrabimus. Aliqui ergo pro Dario Hyſtaſpis pugnant, inter quos Joſephus Antiq. lib. 11. cap. 4., Clemens Alexandrinus Strom. lib. 1., Hieronymus Proëm. in Agg., Theodoretus Proëm. Comm. in 12. Proph. & ex recentioribus multi, & docti. Alii pro Dario Notho digladiantur, quorum agmen ducit Joſephus Scaliger lib. 6. de Emend. Temp. Qui fieri, inquit, unquam poteſt, ut Darius Aggæi ſit Hyſtaſpides? Non ne cap. 4. primi Eſdræ Darius ille, cujus ætate Vatis munere functus eſt Aggæus ſubiungitur Aſsuero, & Artaxerxi, Xerxi, videlicet, ac Longimano? Aſt Darius deceſſor, non autem ſucceſſor eorum fuit. Non ne Eſdras ejuſdem libri cap. 5. v. 1. narrat Aggæum, & Zachariam eodem tempore prophetaſſe, hic verò cap. 1. v. 12. & cap. 7. v. 5. ait jam ſeptuageſimum annum effluxiſſe, ex quo Deus non miſerebatur Jeruſalem, & Urbium Juda, nimirum ex quo ſinebat jugo Babylonico premi Hebræorum gentem? Verùm annus II. Darii Hyſtaſpis appellari nequit ſeptuageſimus captivitatis: Darius itaque Aggæi alius omnino eſt ab Hyſtaſpide. Hæc tamen de ſententia ſua nullatenus movent contrariæ Fautores: Nam & omnes, ajunt Perſarum Reges, poſt quam rerum eſſent potiti, Aſſueri ferè, & Artaxerxis nomina uſurpare ſolebant, quemadmodum qui Romano Imperio noſtris hiſce temporibus potiuntur, Cæſares, & Auguſti nuncupantur: Quamobrem & Cyrus, & Cambyſes, & Smerdis eſſe illi potuerunt, qui laudato Eſdræ capite deceſſores Darii, de quo agitur, indicantur: Et Zachariæ verba ſic eſſe explananda arbitrantur, ut cum Angelus Deum alloquitur, & dicit *Domine exercituum uſque quo tu non miſereberis Jeruſalem, & Urbium Juda, quibus iratus es? iſte jam ſeptuageſimus annus eſt* eundem intelligamus hunc ad

Deum

Deum ſermonem habuiſſe ante ſolutam Captivitatem, viſionis verò tempore, nempe anno II. Darii oſtenſam a Deo per Angelum Zachariæ fuiſſe pœnam, quam exigere volebat è gentibus, quæ tam male Populum ſuum habuerant, atque felicitatis culmen, cui volebat ipſum prope diem reſtituere: quæ aut ſimilis niſi placeat interpretatio, ipſi proponant Scaligerianæ ſententiæ Sectatores Darium, cum anno cujus ſecundo concordari valeat hæc Prophetia. Rejecto Scaligero pro ſententia ſua decertare faciant interrogationem illam ab Aggæo factam Popularibus ſuis cap. 2. v. 4. *Quis in vobis eſt derelictus, qui vidit Domum iſtam in gloria ſua prima?* A qua ſanè abſtinuiſſet Propheta ſub Dario Notho, quoniam inter eos nullus omni procul dubitatione inventus fuiſſet annos natus, quot a concremato primo Jeroſolymorum Templo ad dictum Regem interceſſere: Tradidit namque flammis Nabuzardan, a Nabuchodonoſore miſſus, Domum Dei, & Domum Regis anno M. 3416. P. I. 4126. ipſo Sabbathi die, Auguſti 27.: Dario verò Notho Cidaris impoſita anno M. 3581. P. I. 4291. Aggæus ergo ſub Dario Hyſtaſpide, minime vero ſub Dario Notho protulit laudata verba, quando nonnulli ſcilicet adhuc inter vivos fortè numerabantur, qui Salamonicum Templum conſpexerant, quam ſententiam, & nos libenter amplectimur, atque affirmamus anno Monarchiæ Hyſtaſpidis ſecundo, M. 3484. Prophetiæ munere claruiſſe noſtrum Aggæum, & ſuis ad Templi ædificationem inflammatis, magnum illud effatum eſſe Oraculum *veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo Domum iſtam gloria. Magna erit gloria Domus iſtius noviſſimæ, quam primæ;* Deinde apud ſuos magno in onore habitus, quod etiam numeraretur inter Synagogæ Magnæ Aſſeſſores, veluti evincit Huetius in Demoſt. Evang. prop. 4. cap. 1. pag. 306. num. 3., tandem vitam deſeruit juxta Xyſtum Senenſem anno 50. poſt reditum e Babylonica captivitate, qui fuit Mundi 3518. non autem 3469. veluti ab eodem ſcribitur Bibl. Sanctæ lib. 1. pag. 30.

Vulgatæ noſtræ lectionem religiosè ſequentes Zachariam Carnalem Filium Barachiæ fuiſſe pro certo putamus, Nepotem verò Addonis, licet non illius Joramo: Coëvi, veluti putat S. Jeronymus nam ab iſto ad Darium Hyſtaſpidem anni fluxere pluſquam 240., quot certè inter Avum & Nepotem intercedere nequeunt: Cum verò Eſdræ cap. 5. v. 1. Filius Addonis nuncupatur, & Verſio Græca, quæ Septuaginta duobus Senibus tribuitur, imò etiam laudatus Hieronymus Filium utriuſque, videlicet Barachiæ, & Addonis appellant, nequaquam debemus intelligere, uti Cyrillus, ipſum natura fuiſſe Filium

Ba-

Barachiæ inſtitutione verò Addonis, ſiquidem hæc interpretatio in Voluminibus Sacris omninò caret exemplo, vel alterius fuiſſe filium natura, alterius lege, quod non patitur Vulgatæ noſtræ Authenticitas, quæ illum vocat *Filium Barachiæ*, *Filii Addo*, ſed perſuaſum habere moris fuiſſe Hebræorum Nepotes Filiorum nomine nuncupare, quemadmodum Evangeliſta Matthæus Genealogiam texens Domini, ac Servatoris noſtri Jeſu Chriſti eumdem, licet multis ab Abrahamo, ac Davide generationibus diſtaret, & propriè Nepos dumtaxat foret, ipſorum tamen Filium ſcribit: *Liber Generationis Jeſu Chriſti Filii David*, *Filii Abram*. Cui Patrem dedimus, a Cyrillo edocti Præfat. Comm. in Zachar. damus & Tribum Leviticam, & Sacerdotium, diſcedentes tamen ab eo, cum Sophoniæ æqualem facit, quem Joſiæ Regis Juda temporibus floruiſſe ſupra ſtatuimus. Non Sophoniæ igitur, ſed Aggæo Synchronos fuit, & obſcuritatis Danielis, perſpicuitatis verò Iſaiæ æmulator: Illius, cum viſiones ſibi obiectas pingens ſub figuris quatuor quadrigarum, & quatuor ventorum, ſucceſſiones prædicit quatuor Monarchiarum, quas Daniel perſpexerat, & deſinent in Regnum Chriſti: Iſtius autem cum Evangeliſta potius, quam Propheta, partes quasdam Paſſionis ejusdem Chriſti ob oculos ponit, ex. gr., cap. 9. Triumphalem illius in Jeruſalem ingreſſum *Exulta ſatis Filia Sion: Jubila Filia Jeruſalem*: *Ecce Rex venit tibi Juſtus*, *& Salvator*, *ipſe pauper aſcendens ſuper Aſinam*, *& ſuper Pullum filium Aſinæ*, & cap. 11. verſ. 12. Infandum ſcelus venditionis ejus *Appenderunt mercedem meam triginta argenteis: Et dixit Dominus ad me: Proiice illud ad ſtatuarium*, *decorum pretium*, *quò appretiatus ſum ab eis; Et tuli triginta argenteos*, *& proieci illos in Domum Domini ad ſtatuarium*, & cap. 12. verſ. 10. Mortem ipſius in crucis patibulo, ingentemque dolorem propter ipſum omnium Bonòrum: *Aſpicient ad me*, *quem confixerunt*, *& plangent cum planctu quaſi ſuper unigenitum*, *& dolebunt ſuper eum*, *ut doleri ſolet in morte Unigeniti*. A Propheticis ſuis prædictionibus, mirandiſque operibus, quæ perpetravit, in eum honorem evectus fuit, ut cooptari meruerit inter Patres Synagogæ Magnæ, ſolo maximo Pontificatu, atque ſummo Imperio tunc temporis minore, quo cum ad longum tempus gaviſus fuiſſet, Senio tandem confectus obiit an naturali morte, an violenta diſputabimus in Novo Teſtamento, cum agemus de Matthæi Evangelio: Annum decernit Xyſtus Senenſis, nempe 3460.: Aſt ſecundum Bellarminum anno 3465., juxta Petavium, & Uſſerium anno 3485. vaticinandi principium fecit: Non itaque mortuus. Propè Aggæum Jeroſolymis ſepultum tradit ſuppo-

Digitized by Google

ſititius Epiphanius. Mirum! Aliter ſentit Pſeudo-Dorothæus ejuſdem ſimius, nimirum Noëman ab Eleutropoli ſtadiis 40., in Agro, cui nomen Betharia. Verùm unde hæc diſſenſio? Quia Dorothæus hunc Zachariam cum Zacharia, cujus meminit Iſaias, confundit.

Malachiam alii Angelum in ſpecie hominis extraordinaria legatione a Deo in terras miſſum, alii Eſdram fuiſſe opinati ſunt. Inter eos, qui Angelum non appellavere ſolùm, aſt revera Angelum judicarunt, præcipuus eſt Origenes, deceptus vocabulo Hebræo, quo Malachias idem ſonat ac Angelus: Illorum autem qui ipſum, ac Eſdram unum dumtaxat hominem autumarunt, principem locum obtinet Jonathan Chaldæus Paraphraſtes, in hanc, uti Hieronymus ait, impulſus ſententiam, quòd ætas utriuſque conveniat, quòd eadem dicta Liber Eſdræ, & Malachiæ complectatur, quòd tandem Malachias ſe Eſdram pingat illis verbis cap. 2. verſ. 7. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt*. Judicis munere hoc loco fungendum eſt: Et ideò anathema dicimus primæ opinioni, nam veluti optimè ratiocinatur Doctiſs. Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis: Si Malachias Angelus, quia vox Hebræa, & Angelum, & Malachiam ſignificat: Cur non Salvator Oſee, & Joel cur non Deus? Eodem quippe modo Oſee Salvatorem exprimit, & Joel Deum, ac Dominum. Secundam verò, licet nec approbaverit, nec reprobaverit laudatus Hieronymus, ingenuè tamen fatemur, nobis nequaquam placere. Quia unus alteri ſynchronos: ergo idem? Rident Logici, & abnuunt. Quia unus Author aliqua, & etiam benemulta alterius in ſuos derivavit Libros, iiſdemque inſeruit: unus igitur tantum Author, non duo? Falſum. Sed neque verbis cap. 2. verſ. 7.: *Voluit cognoſci Eſdras in Malachia*. Orationis contextus, ad Levi primùm, deinde ad univerſos Sacerdotes pertinere oſtendit. Homo itaque fuit Malachias, & juxta Euſebium, in Chron. ac Auguſtinum lib. 18. de Civitate Dei cap. 36. alius ab Eſdra, oriundus, ſi ſuppoſititio Epiphanio credamus, ex Tribù Zabulonis, natus poſt ſolutam Captivitatem in Sopha, ſeu ut habet Pſeudo-Dorothæus, in Supha, vel ut alii legunt, in Socha, loco ejuſdem Tribus. Vaticiniis operam dedit poſt Templum tantummodo a Zorobabele conſtructum, hoc eſt poſt annum ſextum Darii Hyſtaſpis, qui fuit Mundi 3489. Per. Jul. 4199., idque evincunt ejuſdem prædictiones: Aggæus namque & Zacharias, ſuos perſtringebant, quod ſtructuram ipſius differrent, accendebantque, ut, poſtpoſitis omnibus ſolum ædificandæ Domui Altiſſimi vacarent, ipſe verò Sacerdotum carpit avaritiam, ſocordiam, & alia ipſorum crimina,

quæ

quæ illam jam conſtitutam, perfectamque demonſtrant. Abrogationem Judaicarum Hoſtiarum, novique præſtantiſſimi, atque ſanctiſſimi univerſalis Sacrificii inſtitutionem prænunciavit cap. 1. verſ. 10. & 11.. Addidit Vaticinium de duplici adventu Meſſiæ, in quorum primo Joannem Baptiſtam Præcurſorem habere deberet cap. 3. verſ. 1. & 2., in altero Eliam cap. 4. verſ. 5.. Aſt heu conditionem humanam! Mors adhuc juvenem rapit, tantumque virum Judaico Populo invidet: Quo anno, incertum, ſed quantum coniicere poſſumus decimo ſexto Hyſtaſpis Mundi 3499. Per. Jul. 4209.: Corpus Patrio Solo reliquit: Jam ad aliquas propoſitiones. I. Licet Chriſtus triginta & ſex horas, ut ſummè inter mortuos jacuerit, nihilotamenminus rectè credendum Eccleſia proponit, ipſum tertia die reſurrexiſſe, ejusque per triduum mortui, ac deinde reſurgentis Jonam in ventre Piſcis tribus diebus, & tribus noctibus detentum, ac poſtea in aridam foras projectum, fuiſſe eximium ſimulacrum. Nos ut ſententiam noſtram fulciamus: neque cum Langio cenſemus Chriſtum Dominum non feria ſexta, ſed feria quinta paſſum, & ſepultum eſſe: Scripturæ namque adverſatur hæc opinio: Neque cum Alcuino lib. de Divinis Officiis arbitramur reſurrexiſſe, non prima Sabbathorum, ſed ſecunda, nimirum non prima hebdomadæ die, ſed altera, quòd pariter cum Scriptura pugnat. Verum dicimus naturales dies ab Aſtronomis, & Romanis fuiſſe ſolitos computari a media nocte, ad alteram mediam noctem, quemadmodum Eccleſia in jejuniis. Quam naturalem dierum computationem a Romanis, in Judæa tunc temporis imperitantibus, Judæi ipſi fuerant mutuati: Etſi namque dies ſacros, ſeu Feſtivos a Veſpera, ad Veſperam ducerent: Artificiales verò a Solis Ortu ad Ortum alterum: Naturales tamen a media nocte ad alteram mediam noctem trahebant. Sic ergo diebus naturæ ordine ſecundum Aſtronomos numeratis, tres dies, totidemque noctes a Chriſti morte ad reſurrectionem facilè metimur per Synecdochen: Chriſtus enim hora nona Judaica Paraſceves, ſeu tertia poſt meridiem mortuus eſt, & quinta circiter tumulo datus. Quidquid igitur lucis reſiduum fuit, & quidquid tenebrarum acceſſit ante mediam Sabbathi noctem, id ad naturalem Paraſceves diem, noctemque pertinebat: En jam diem unam, noctemque unam per Sinecdochen computatas, partem pro toto accipiendo: tum a media nocte integra Sabbathi dies ſecuta eſt ad alteram mediam noctem, quæ Dominicam inchoavit: En rurſus diem alteram, noctemque alteram: demum quidquid tenebrarum, lucisque fuit ab ea ſecunda media nocte ad diluculum reſurrectionis, totum id ad noctem diemque Dominicæ ſpectabat,

Digitized by Google

ſtabat, alteramque idcircò noctem, diemque conflavit per Sinecdochen pariter computatas. A morte itaque, ad reſurrectionem Chriſti Domini tres dies, totidemque noctes extitere: Dies nimirum una, itemque nox una plena, & integra Sabbathi: Dies verò duæ, noctesque duæ dimidiatæ: Illæ quidem ad Paraſcevem, iſtæ ad Dominicam pertinentes. Sed cur non integris tribus diebus, & tribus integris noctibus in corde Terræ commoratus fuit Chriſtus, ſicuti Jonas in Ventre Cæti tribus diebus, & tribus noctibus? Reſpondet e Romano Solio Magnus Leo hujus noſtræ ſententiæ patronus ſerm. 1. de Reſurrectione: *Ne turbatos Diſcipulorum animos longa mæſtitudo cruciaret, denunciatam tridui moram mira celeritate breviavit, ut dum ad integrum diem pars primi noviſſima, & pars tertia primi concurrit, & aliquantulum temporis ſpatio decideret, & nihil dierum numero deperiret.* II. Argentei, quorum Zacharias Propheta meminit cap. 11. verſ. 12. prænuncians infandum ſcelus venditionis Chriſti per Judam Iſchariotem perpetratum, fuerunt Sicli non autem Denarii, ut putavit D. Ambroſius lib. de Spirit. San. cap. 18.: Aut Libræ Argenti duodecim unciarum, veluti ſcribit Eminentiſſimus Annalium Eccleſiæ parens Baronius ad annum Chriſti 34.: Nam ille ſolutum pretium extenuavit, iſte plus nimis auxit. Extenuavit ille, quoniam eademmet pecunia per Judam falſa pœnitentia ductum reſtituta emptus fuit Ager Figuli in Sepulturam Peregrinorum, qui teſte D. Hieronymo lib. de Locis Hebraicis Jeroſolymis ad auſtralem plagam Montis Sion ſitus erat: Verùm quis ſibi perſuadeat paucis obolis, curtoque aſſe in Regia Urbe Agrum Figulinum emi potuiſſe peregrinis humandis capacem, quorum ibi infinitus propemodum erat numerus: Judæis illuc Religionis cauſſa undecumque confluentibus? Iſte plus nimio auxit, quia doluit Chriſtus apud Prophetam non modo ſe venditum, ſed venditum triginta Siclis, quod pretium ſervorum fuiſſe affirmavit doctus, & ſolùm apud Hebræos ineptire neſciens Maimonides ad cap. 21. Exodi verſ. 32. ubi agitur de Bove cornupeta: *Expiatio*, inquit, *pro ſervis, ſive ſint magni, aut parvi, ſive ſint Mares, aut Feminæ mulcta eſt in Lege definita, nempe triginta Sicli probi argenti, ſive ſervus centum minis æſtimetur, aut ne denarium quidem valeat.* Aſt triginta libræ argenti, hoc eſt 360. ſcuta Romana immoderatè ſummam excedunt pecuniæ, quam Maimonides tradit fuiſſe pretium ſervorum. Argenteorum autem nomine Siclos venire ſuadet, tum Verſio Græca Septuaginta duobus ſenibus adſcripta, quæ ubi Hebraicè eſt *Ceſeph*, videlicet *argentum*, reddit *Siclos* argenti, tum Judæorum Magiſtrorum teſtimonium, aſſerentium,

ut

ut notat Elias Levita in Voce Sela: *Omne Argentum, cujus in Lege ſit mentio, abſolutè Siclos intelligi:* Quamobrem tantum remanet, ut ſtatuamus, cui ex noſtris Monetis Siclus reſponderet, ut agnoſcamus tandem quanti venditus fuerit Dominus, ac Servator noſter Jeſus Chriſtus: quod ſanè haud difficile; docent enim permulti, & quidem magni nominis Authores, ſingulos Siclos reſpondiſſe ſex Juliis Romanis, totumque pretium octodecim ſcutis pariter Romanis. Audiant Chriſtiani Ambroſium: *Tam vili auctione vult æſtimari Chriſtus, ut ab omnibus ematur, nec pauper deterreatur.* Ambroſ. loc. cit.

XXX.

Joannes Hircanus Author primi Libri Machabæorum. Liber Secundus Machabæorum Jaſonis Cirenæi, ſed decurtatus a Juda Eſſeno.

DUos veteris Teſtamenti Libros eſſe Machabæorum nomine inſcriptos, quod præclara ab Heroibus Machabæis perpetrata facinora complectantur, nemo ignorat: Unde autem dicti Heroes Machabaicum cognomentum traxerint, omnes divinant, & nulli ſciunt. Quid nos? Haud multa perveſtigatione quærere volumus, quod in deſperatis habemus fore aliquando ut inveniatur. Sed & Authores horum Librorum in dubium vocantur: variant etenim circa illos Eccleſiaſticorum Scriptorum ſententiæ, & in eis vix probabilitas. Primum quem Hebraicis exaratum literis, hoc eſt Syro-Chaldaicis legiſſe narrat D. Hieronymus in Præfat. Regum aliqui tribuunt Joanni Hircano Simonis Filio, qui maximo Hebræorum Pontificatu potitus eſt ab anno Mundi 3869. Per. Jul. 4579. ad Mund. 3090. Per. Jul. 4610.: Alii Synagogæ Magnæ. Secundum verò certè contra Blondellum Græcè conſcriptum, è Jaſonis Cirenæi quinque Libris aliqui contractum in Epitomen volunt per Joſephum, quos jure perſtringit Huetius in Demoſtr. Evang. prop. 4. cap. 14. num. 2. pag. 313.: Alii per Philonem Judæum, ut Honorius Auguſtodunenſis Presbyter in Libro de Sriptoribus Eccleſiaſticis: Nonnulli tandem per Judam Eſſenum, ut Serarius, & Tirinus. Nos de re, quæ tutò credi, & ſine periculo negari poteſt, libenter tanquam è Tribunali pronunciamus, Joanni Hircano primi Libri Judæ Eſſeno ſecundi lucubrationem adjudicantes. Et quod ad primum attinet, quæ neceſſitas,

Digitized by Google

curam derivandi in Synagogam Magnam Machabaicorum geſtorum Hiſtoriæ colligendæ, digerendæque, cum in ipſiſmet Machabæis tunc temporis reperiretur, qui ſatis commodè præſtare id poſſet, imò & deberet Joannes Hircanus omnibus pænè rebus, quæ in primo Libro continentur, jam præſens, otio ſicuti alii ex deceſſoribus ſuis haud carens, teſte Joſepho, dono præditus Prophetiæ, Sacerdotii dignitate auctus? Nonnè & duplicis maximi muneris obligatio, & gloria Familiæ ab ipſo etiam invito, ac reluctante ſcriptionem iſtam extorquere debebant? Quod autem ad ſecundum, qui illum Joſepho attribuerunt, vel imperitos, vel incautos erraſſe autumamus, confundentes Volumen, de quo nunc agimus, cum eleganti quodam Tractatu de Machabæis, ſive de Imperio Rationis, quem a Joſepho Antiquitatum Judaicarum Authore, compoſitum tradit D. Hieronymus Lib. de Script. Eccleſ. in Joſepho, & Lib. ſecundo adverſus Pelagianos cap. 3., è quo poſteriori S. Doctoris loco, deceptus procul dubio fuit eruditus alioquin Vir Euſebius Nierembergius, cum de Orig. Sacr. Script. lib. 10. cap. 18. pag. 367. aſſerit eumdem Hieronymum Joſepho ibidem dare Machabæorum ſecundum: Nihil verò probabilitatis habens Auguſtodunenſis Honorius ad Judæum Philonem ſpectare dictum opus aſſeveravit. E quo amabo fonte hauſit? E ſtyli ſimilitudine? Nulla prorſus: Ab aliqua ſententiarum cognatione inter hunc Librum & Philonis ſcriptiones? Haud quicquam occurrit in Philonis lucubrationibus, unde non modò fœtum ipſius hunc eſſe, ſed vel viſum ipſi conjectare liceat: Quod eſſet ſanè aliter, ſi ejusdem Author extitiſſet. Remanet ut aliquid pro noſtra ſententia in medium proferamus, quæ multum virium, ni fallimur, ſumit ab illis verbis capitis ſecundi verſ. 14.: *Similiter autem & Judas, ea quæ deciderant per bellum, quod nobis acciderat, congregavit omnia, & ſunt apud nos*. Si etenim Judas laudatus, in citato Comate noſter eſt Judas Esſenus, ut eruditiſs. plerique Interpretes contendunt, nulli addubitare fas eſt, quin Vir doctus extiterit, & in Voluminibus Hebraicum Populum reſpicientibus inſtructus, & clarus etiam inſigni erga Deum pietate, & ſcientia infallibili futurorum prædicendorum, nam teſte Joſepho, mortem prænunciavit Antigono Joannis Hircani ſecundo Genito. Valde igitur probabile eſt eumdem, quem ſuorum commodis, quæ præſertim æternæ illorum beatitati conducerent, etiam atque etiam ſtuduiſſe demonſtrat Sacrorum Codicum poſt Bellorum motus collectio, Jaſonis quoque Cirenæi longiuſculam hiſtoriam in unum tantummodò Librum compegiſſe, ne hoc præclaro Patriæ fortitudinis, & divinæ erga gentem

ſuam

Digitized by Google

ſuam benignitatis monumento fraudarentur Eleniſtæ Ægyptienſes, ad quos data eſt Epiſtola Jeroſolymitani Senatus, unde hic ſecundus Liber exordium accipit, quæve noſtri Judæ opus fortaſſis exiſtit. Cujuscumque tamen Auctoris ſint hi duo Machabæorum Libri annis abhinc mille trecentis eos in Sacrum Canonem recepiſſe Eccleſiam teſtatur Auguſtinus in decimo octavo De Civitate Dei: *Machabæorum*, inquit, *Libros non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet, propter quorumdam Martyrum Paſſiones vehementes, atque mirabiles, qui antequam Chriſtus veniſſet in Carne uſque ad mortem pro Lege Dei certaverunt, & mala graviſſima, atque horribilia pertulerunt*. Imò licet Judæi totos pro Canonicis non habuerint, Joſephus tamen in calce laudati tractatus, quem de Machabæis inſcripſit, aſſeveranter affirmat Eleazari Senis, & ſeptem cum Matre filiorum Martyria ſecundo hujus hiſtoriæ Volumine comprehenſa, etiam apud Hebræos inter Sacras Literas haberi. Verùm quamvis iſta duo Volumina in tutela ſint Eccleſiæ, pluribus nihilominus, variiſque calumniis, per Calvinum, alioſque ſceleſtiſſimos homines, oppugnantur, quibus ut frangantur, has opponimus propoſitiones. I. De Magno Alexandro Macedone Philippi filio lib. 1. cap. 1. verſ. 1. Machabæorum abſque mendacio dicitur, *qui primus regnavit in Græcia*, licet ab initio Regni Carani primi Macedonum Regis, hoc eſt ab anno Mundi 3190. Per. Jul. 3900. ad initium Regni ejuſdem Alexandri, ad annum videlicet Mundi 3668. Per. Jul. 4378. Reges Macedonici 21. ante ipſum numerentur: verè namque fuit primus, qui toti Græciæ imperaverit, & Monarchiam ad Græcos tranſtulerit: Libri verò Authorem hoc ſibi aſſerere propoſuiſſe, cum eumdem primum Græcorum Regem appellavit, oſtendunt manifeſtò verba textus, quæ ſubjungere non erit abs re: *Et factum eſt poſtquam percuſſit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnavit in Græcia, egreſſus de terra Cethim, Darium Regem Perſarum, & Medorum: Conſtituit Prælia multa, & obtinuit omnium munitionem, & interfecit Reges terræ: Et pertranſiit uſque ad fines Terræ: Et accepit ſpolia multitudinis gentium, & ſiluit terra in conſpectu ejus*. II. Annus 137. Regni Græcorum, quo Antiochus Epiphanes, ſeu Illuſtris, lib. 1. Machabæorum cap. 1. verſ. 11. dicitur regnare cœpiſſe in Syria, falſus non evincitur ab anno 153., quo Euſebius ponit initium Regni ejuſdem Principis. Duplex namque exordium habuit Epocha Regni Græcorum: Primum ab occiſo per Beſſum Bactrianorum Præfectum Dario Codomano ultimo Perſarum Rege, jam anno altero ad Arbella, ſive Gaugamela debellato, quæ pugna evenit non anno 7. poſt ac-

acceptum ab Alexandro Regnum, ut minus conſideratè ſcripſit Hieronymus ad cap. 11. Danielis, ſed 5. facto, & ineunte, 6. ut habet Juſtinus lib. 11. cap. 14., ac Mundi 3674. Per. Jul. 4384.: Sublato enim laudato Dario, tanquam Supremus Monarca annos quinque Babylone imperavit: Alterum ab inito per Seleucum Nicanorem apud Babylonem Principatu minimè, verò a Syria obtenta, veluti contendunt nonnulli, quos ſtrenuè refellit Henricus immortalis memoriæ Cardinalis Noriſius, Collega olim noſter in hac Sacra Theologorum Florentina Univerſitate de Epochis Syro-Macedonum Diſſert. 2. pag. 60. 61. & ſeq., qui pariter annus fuit 11. poſt mortem Alexandri: nondum enim Seleucus Regium Nomen, aut diadema uſurpaverat, quod adhuc viveret Puerulus Alexander, quem ſcimus è Roxane poſt Patris, nempe Magni Alexandri mortem, natum, & duodennem mortuum, qui pariter annus fuit Mundi 3691. Per. Jul. 4401.. Hoc autem jacto duplicis exordii Regni Græcorum fundamento, decernimus Authorem Libri primi Machabæorum in annis deſignandis uſum fuiſſe Epocha, quæ ſuum habuit initium a Seleuco: Euſebium verò Epocha, quæ ducta eſt ab Alexandro, & annum 137. Machabaicum eumdem eſſe ac annum 153. Euſebianum: quia, ſi ſubducantur ab annis 153. quinque Monarchiæ Alexandri, atque 11. alii, qui ab Alexandri obitu ad aſſumptum a Seleuco, poſt recuperatam Babylonem, principatum interceſſere, remanent centum triginta & ſeptem, a quibus incepit Epocha Regni Græcorum ſecundo modo accepta, & Seleucidarum nuncupata. Sed etiam annus 149. quo lib. 1. cap. 6. verſ. 16. narratur Antiochus viam univerſæ Carnis ingreſſus anno centeſimo quadrageſimo nono minimè falſitatis revincitur a teſtimonio Epiſtolæ Antiochi ejus filii jam regnantis ad Senatum Judæorum data anno centeſimo quadrageſimo octavo Xantici menſis quinta decima die: Exoritur namque in prioribus iſtis duobus Libris Machabæorum, ut luculenter probat laudatus Noriſius apparens quædam Chronologiæ diſcrepantia tam citato loco, quam alibi, tantum ex vario modo inchoandi annum cum Judæi illum auſpicarentur a menſe Niſan, qui partim Martio, partim Aprili noſtro reſpondet: Græci autem, & rectiùs, annum inciperent ab Autumno, & ideo Author primi Machabæorum, qui anni principium accepit Judaico more, Antiochum Epiphanem retulit interiiſſe anno 149., filius verò Succeſſor illius jam mortui ſcripſit citatam Epiſtolam anno Regni Græcorum 148. quemadmodum ſi a duobus Authoribus, Florentiæ altero commorante, altero Romæ deſcribendum foret aliquod Feſtum proximo præterito menſe Februarii ſolemni pompa celebratum,

illud

Digitized by Google

illud primus aſſignaret anno 1731., ſecundus 1732., quia Romæ initium anni a prima Januarii die, Florentiæ a die 24. Martii accipitur. III. In referendis annis factæ per Judam purgationis Templi, qui ſecundum Librum Machabæorum literis tradidit illi non adverſatur, qui primum compoſuit, & paulò ante interitum Epiphanis Antiochi, hoc eſt quinta & vigeſima die menſis noni, centeſimi quadrageſimi octavi anni Regni Græcorum celebratam tradidit cap. 4. verſ. 52. Cur etenim affirmatur adverſari? *Quia*, inquiunt, *biennio poſt Antiochum mortuum dictam Templi purificationem peractam vult*. Falſum: Verba ſiquidem illa poſt biennium ad Templum inquinatum ſunt referenda, non autem ad Antiochi Epiphanis obitum: itaut ſenſus ſit, a Judæis oblatum fuiſſe Sacrificium poſt biennium a Templo per gentes contaminato, minimè verò poſt biennium ab expulſo e vivis Antiocho: Neque mors Judæ Machabæi, quam Author primi Libri Machabæorum cap. 9. eveniſſe narrat in pugna anni Græcorum 152. adverſus Bachidem, & Alcimum in Maſaloth fidem vel minimùm extenuat Epiſtolæ nomine etiam Judæ exaratæ, quam refert lib. 2. cap. 1. num. 10.: Verba ſiquidem illa *Anno centeſimo octogeſimo octavo* non ſunt illius initium, ſed finis ſuperioris, quam Ægyptienſibus fratribus ſuis ſcribunt Jeroſolymitani, & alii Regionis Judæi, nec divinamus tantummodò, cum id aſſerimus: Doctiſſimus enim Robertus Cardinalis Bellarminus, Theologorum ſui temporis facilè Princeps affirmatè tradit, Epiſtolam, de qua agitur, in Codicibus Græcis non exordiri ab iſtis verbis *Anno centeſimo octogeſimo octavo*, ſed ab illis *Populus qui Jeroſolymis*. IV. Ex iſtis verbis Epiſt. etiam Judæ nomine ad Ægyptienſes Hebræos datæ, atque in cap. 1.: Secundi Machabæorum relatæ, *Cum in Perſide eſſet Dux ipſe, & cum ipſo immenſus exercitus cecidit in Templo Naneæ conſilio deceptus Sacerdotum Naneæ. Etenim cum ea habitaturus venit ad locum Antiochus, & amici ejus, & ut acciperent pecunias multas dotis nomine. Cumque propoſuiſſent eas Sacerdotes Naneæ, & ipſe cum paucis ingreſſus eſſet intra ambitum Fani, clauſerunt Templum. Cum intraſſet Antiochus aperto occulto aditu Templi, mittentes lapides percuſſerunt Ducem, & eos qui cum eo erant, & diviſerunt membratim, & capitibus amputatis, foras proiecerunt*, neceſſariò non ſequitur Antiochum Epiphanem in Templo Naneæ fuiſſe occiſum, ſed partim ſunt referenda ad Antiochum, & Socios ejus, nimirùm percuſſio: partim ad Socios dumtaxat, nempe cædes, & membrorum diſtractio: Præterea ſiquis addubitaret an Dux percuſſus Antiochus fuerit, an ille potius, qui ex Ducibus ejus princeps

erat

Digitized by Google

erat Exercitus, num inſanire diceretur? Noſtra Sententia eſt Antiochum ſpe pecuniarum fruſtratum quidem fuiſſe, ſed cum aliis minimè obtruncatum, elabi è Templo Naneæ potuiſſe, fugaque arrepta Jeruſalem verſus, cum ſpirans minarum, & cædis impias in Deum voces jactaret, cælitùs in ipſum peſtiferi morbi emiſſo fulmine in Montibus occubuiſſe. Nihil in hac narratione repugnans, nihil contrarium, & pacificè habitat Lupus cum Agno, caput videlicet primum ſecundi Machabæorum, cum capite nono ejusdem Libri. Ita opinati ſunt etiam Xyſtus Senenſis Tom. 2. lib. 8. pag. 349. Graveſonius de Scriptura Sacra pag. 2. §. 3. pag. 235.. Hactenus de Libris Veteris Teſtamenti, & de eorum Scriptoribus. De Novo Tractationem habebimus anno proximè futurò. Faxit Deus.



A R-

Digitized by Google

ARGUENT EX COLLEGIO.

Excell. P. M. Joannes Baptiſta Biſcardi Servita.
Excell. P. M. Petrus Maria Mazzei Presbyter.
Excell. P. M. Joannes Baptiſta Minghetti Presbyter.
Excell. P. M. D. Gulielmus Dolci Monachus Vallis-Umbroſæ.

Datur deinde unicuique arguendi locus.

DISPUTABUNTUR PUBLICE
IN ECCLESIA RR. MONIALIUM
SANCTI BARNABÆ
FLORENTIÆ ANNO MDCCXXXII.
MENSE SEPTEMB. DIE XXVII. HORA XIV.

583237

Digitized by Google